



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechismus Poenitentium, Instar Dialogi Qvo Ratio Poenitentiae Inevndae Declaratur

Mermannus, Arnold


Lovanii, 1564


urn:nbn:de:hbz:466:1-30296



Th. 2987

J. VI
A4





Ex donatione R. D. Sabas . . . 1595.
CATECHISMVS

POENITENTIVM, INSTAR DIA-
LOGI QVORATIO POENI-
TENTIAE INEVNDAE DECLARA-
tur. Ad Reuerendissim. & Illustrissim.
S. R. E. Presbyterū Cardinalem
Granuellanum etc.

*Autore F. Arnaldo Mermannio
Alostano Minorita.
Collegij Societatis Ioh. Paderbornae*



LOVANI I
Ex officina Ioannis Bogardi, Sub Biblijs
Aureis, Anno 1564.

PRIVILEGIUM.

CAutum est diplomate Regione quis præter
Ioannem Bogardum Typographum Acade-
miæ Louaniensis intra sex annos proximos
imprimat aut alibi impressum distrahatur libellum,
cui Titulus Catechismus pœnitentium instar dia-
logi: Autore F. Arnaldo Mermannio Alostano,
sub pœna in privilegio contenta.

Datum Bruxellæ Iulij 16. anno 1563.
Subsig.

De Perre.

ILLVSTRIS,

VIRO ANTONIO PERRE-
NOTTO S. R. E. PRESBYT.
CARD. GRANVELLANO,

Archiepiscopo Melchliniensi longe digniss.

*F. Arnoldus Merman-
nius Alostanus.*

S. D. P.

VM ab ineuntis ætatis
exordio. Præsul amplif-
sime, in earum rerû cog-
nitione potissimum de-
sudarim, quarum præsi-
dio & virtute veræ Re-
ligionis maiestas integra conseruatur, dis-
sectæ vero Reipub. Christianæ partes &
laceræ restituuntur, nolui committere quin
vestra Celsitudo hac in dignitate & splê-
dore constituta quo non eam popularis
auræ strepitus, sed illustris virtutis actio
& excelsi animi vigor euexit, intelligeret
eo spectasse præcipue nostra studia, cona-
tus omnes, vt stipati aliqua institutionis
rectè subsidio, pro nostræ conditionis &
fortis imbecillitate de salute cõmuni chri-
stianæ Reipub. conseruanda cogitaremus.

a ij

Idq;

E P I S T O L A

Idq; vt fidei testimonio voluntatis meæ
 perspicuum euaderet, lubuit hoc pertur-
 batissimo seculo gliscentibus vndiq; er-
 roribus, quib⁹ vniuersus orbis sursum de-
 orsum voluitur, consilium capeffere, quo
 facilius christiano gregi in interitum &
 & ruinam procumbenti mature subueni-
 ri possit. Verum quale (amabo) illi pocu-
 lum salutiferum aut quibus ex hortis de-
 sumptum remedium propinabimus? Cer-
 te cum hanc legem rerum otido naturæ
 præscripserit, vt graui valetudine fatigato
 concussioq; humano corpori nullum recu-
 perandæ salutis præsentius pharmacum,
 medici ingenium & industria possit ef-
 fingere, quam si laborantem tãtis per indi-
 cto cibi potusq; delectu & parcitate ab-
 stinere cogat, dum diffluentibus hinc, in-
 de, vitiosis humoribus morbiq; labe in vi-
 scerum penetralibus alte recepta, corpus
 expurgetur, purgatoq; artis prudenti ob-
 seruatione viam ad salutem aperit.

Sic quoq; hominum animi à vero sibi
 impresso caractere diuinaq; effigie de-
 generes sensilibus simulachris seducti, vo-
 luptatum illecebris irretiti, errantes nullo
 alio compendio æternæ salutis, retro par-
 ticipes

DEDICATORIA.

2

icipes fieri possunt, nisi primum errorem retexentes suū, sordibus quas terrę cōtraxerunt è contagio expiatis, veræ poenitentię præsidio, gratiæ diuinæ diuino medio restituantur.

Quod cū diligētī lōgaq; prouisione animi obseruarim Præsul amplissime, nullum in tanta rerum ac disciplinarum varietate argumentum deligere potui præstantius, quā quo nos potiore nostri parte beamur, viuimus, valemus. Non quod ignorē Præsul amplissime quā mancipata sit ea scribendi conditio, in qua diligentia reprehensione, studium similtate vacuum esse nequit. Sed cum Reip. Christianæ salutē priuatis affectibus præferri oporteat incalecente religionis ardore progressus sum Instituti mei rationes persequi, ne petulantis linguæ iniuria territus, perturbationibus animi parere voluisse videar.

Tu vero Præsul amplissime, cuius excelsa regiaq; naturæ indoles omnibus sese benigne exhibet, si hosce exurgentis nostri ingenij foetus & industriam, qua verę poenitentia naturam sine tædio predicamus beneuolo applausu dignabere, eueniet vt ad maiora inuestiganda facile animum

a iij

men-

EPISTOLA

mentemque alacritate prompta cōuertamus. Vale in Domino cui tuam illustrissimam dominationem enixissime commendō ut diu seruet sanam & faustam.

Datum tuæ Mechliniæ Metropolitanæ anno salutis 1564. Sexto calendæ Martias.

Tuæ Illustriss. amplitudinis studiosiss.
F. Arnoldus Mermannius Alostanus.





C A T E C H I S M V S P O E -
N I T E N T I V M , D I A L O G I I N -
star, quo ratio atque momenta pœnitentiæ ineun-
dæ ceu calculi quidam reducuntur, declarantur
enumerantur. Autore F. Arnaldo
Mermannio Alostano
Minorita.



O E N I T . Tanta
adeo rerū omnium
& quidem fidei re-
ligionisq; , qua chri-
stiano esse nihil an-
tiquius potiusque
probo licet, vicissi-
tudine, hic mundus
agitur, imo irato verius numine vexatur
vt nunquam ita quasq; bene subducta ra-
tione ad vitam mihi fuisse, aut fore, videa-
tur quin res, ætas, vsus, semper aliquid ap-
portet noui, aliquid moneat, suggerat ali-
quid, vt ea quæ te scire credas, nescias, &
quæ tibi putaris prima, in experiēdo repu-

a iiij dies,

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

dies, laudes diuersa sequentes, nisi mare
 isthoc mundum inquam, transmissurus Si-
 renum (si quę vnquam fuere) cantibus pel-
 liciendiq; mille artibus ac modis, & plus-
 quam Circeis blanditijs aures eara oc-
 cludat, clauoq; sese, quod Vlysses illū fe-
 cisse poetę omnes fabulantur, nodis vin-
 culisq; Herculanis (vt ita dicam) alliget,
 instar nimirum aspidis surde factus, & ob-
 rurantis aures suas, quę non exaudiet vo-
 cem incantantium & venefici incantantis
 sapienter teste regio psalte Psalmo 57. Et
 meminit Plinius Auunculus natura. hist.
 lib. 28. cap. 2. Quod mihi certe nuper in
 symposio quodam satis superque (siquid
 ego iudico) compertum est. Quum enim
 (vt fit) tempore pomeridiano diei domi-
 nicę primę aduentus soluta concione qua
 qui declamauerat ad populum, sese de
 Christiana pœnitentia perpetuo aduentu
 acturum sponponderat, incidissem in meos
 compotores omnis pœnitentię, non tan-
 tum immemores, verumetiam, ex profes-
 so osores multis vltro citroq; verbis habi-
 tis, tandē incalescente bile vinoq; estuante
 in omne nefas, post iocos & fabulas, om-
 ne genus, post querelas de iniquis regum
 princi-

principumq; exactionibus, de pontificia tyrannide, de monasticis superstitionibus de propediem minante ruinam augustissima illa Christi religione de obscurato per papistas euangelio & magisquã Cimmerijs tenebris inuoluto christianismo, de traditionibus humanis, de oppresso nefandissime (proh dolor aiebant) Lutheranismò id est mero euangelio vt interrogentur ne quid silentio præteritum esset, venit in mentem illius rabulæ & ganeonis atq; nugiuendi (sic quippe inquebant) papistæ quem de poenitentia, & fecisse & de disse verba afferebant belle hunc iam velut bellaria postremaq; suas maximeque opiparas delicias habebant, priorum per-tasi, nihil quam cucullum spirantes, nihil quam rasos vertices, fenestratos calceos, innodatos rudibus cordis hominis nudipedes, dependens in humeros prodigiose caput, vestem môstri similem, & omnem denique superstitosam, monachorũ panopliam crepantes, increpantesque. Vbi ego (nam audire nefanda irreligiosaq; illa erat religio) memor illius versus Menandri Paulo Apostolo mutuati, vt sæpe audierã,
Corrumpunt mores bonos colloquia mala I. Cor. 15.

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

la 1. Cor. 15. Heus, inquam, istæc apagite, ne sutor ultra crepidam, quod medicorum est promittant medici, tractent fabrilia fabri, nauita de ventis de tauris narret arator, suo quenq; modulo ac pede metiri æquum est, foelices ego semper fore artes sum ratus dū soli artifices de illis iudicent. Earum siquidē rerū, æquū iudicē, vnūquēq; duntaxat æstimauit, quarū sit ipse eruditus et artifex. Quid autē vos fabri nō sentitis, vos ultra malleū loqui? et vos pictores, nūquid oīa penicillo æstimabitis? An vos quoque textores (nam huiusmodi artium mechanicarum eramus omnes) omnia iura humana, diuināq; tanquam filia vestris telis intexere valebitis? Quid cæcis cum speculo? Quid cæci de coloribus iudicatis? Quid asini (vt cum stomacho loquar) lyra, tibiā & citharā temerē pulsatis, neq; aulædi neq; citharædi? Audiuimus profecto pueri (si meministis) in scholis triuialibus ne musis quidem ipsis, omnibus, omnia esse innata & per omnium ora ferri vergilianum illud dicite pierides non omnia possumus omnes. At illi erectis cristis, caperata frōte, ardentibus oculis, toruo, vultu, totoq; corporis habitu me auersati,
 ba ma-

post varias ampullas, & sesquipedalia verba male mihi precati, velut a symbolū explodunt è senatu, renunciantque pristinæ consuetudini. Hic ego, Nemesis inquā viderit, Imo (vt Christianè loquar) Deus opt. max. qui superbis resistit humilib⁹ autē dat gratiā. Verū eccū ipsum quē volebā concionatorē illū, adoriar & cōpellabo hominē. Salve boni vir optatus adest, cupiebā te conuentū super pœnitentia quā doces, nisi molestum est & si vacat.

CATECH. concionator. Et vacat & tam non est molestum, quam quod gratum maxime, nihil siquidem mihi potest accidere charius, quam si quo scrupulo laboras si qua te cura sub pectore coquit, & & quocunq; grauioris fasce, leuare te queā superis fauentibus, sicubi hæsites, præstosum, interroga, nam nonnunquam dubitare tam non est inutile quam dubia pro certis tenere non est vtile.

POENIT. Audacem me facit tua humanitas, percūctabor igitur, tu si mihi votisq; meis satisfeceris, tam libentem habebis perpetuo debitorem, quam libens præstabis officium. Quæro itaque abs te quid sit pœnitentia,

Cate-

CATECHIS. POENITENT.

CATECH. concio est donum quod-
dam Dei quo ipse iratus placatur, ipse
quippe dare debet quod iubet, qui iubet
quod vult, quoque peccator in eius gra-
tiam redeat, pro sua pietate atq; clementia
adeo vt nihil pratexere possit homo, quo-
minus resarciat cum Deo amicitiam, re-
cuperetq; gratiam, quū ipsemet conferat
& largiatur vnde placetur, quod eruditè
pariter fuseq; explicat concilium Colo. §.
de poeniten. nuper editum in lucem. Sic
quum Iudaizantes quidam, egrè tulissent
Petri cum Cornelio alijsq; gentibus con-
suetudinem, sese ille purgasset, tacuerunt
& glorificauerunt Deum dicentes; ergo et
gentibus, poenitentiam dedit Deus ad vi-
tam Act. 11. Et Iob. 24. queritur peccatorē
pertinacem hoc Dei munere abuti, dedit
ei locum poenitentię (inquit) & ille abuti-
tur eo in superbiam. Et Paul. 2. tiō. 2. Seruū
Domini non oportet litigare, sed man-
suetum esse ad omnes etc, nequando deus
det illis poenitentiam etc. Vbi Ioh. Chryf.
Theoph. & Oecu. conuersionem & resi-
piscientiam impij non riganti neq; plan-
tanti sed ei qui dat incrementū, id est Deo
acceptam ferendam asserunt. Hiero. autem
&

& Primasi, præter hoc quod Dei donum & datum optimum, descendens à patre luminum confitentur, etiam contra Novatianos vehementer facere inquit, qui negabant poenitentiam lapsis post baptismos. Imo ait Hiero: non dubitat amplius de Deo, nimirum, qui cupiat omnes homines saluos fieri. Tiō. 2. Sed de hominum prauitate & August. lib. de correptione & gratia cap. 4. Tunc correptionem utilem & salubrem esse dicit, quando supernus medicus respicit, non enim aliquid proficit, inquit, nisi ille cū facit, vt peccati sui quæcūq; poeniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Petrum negantem & fecit flentem? Vnde Paul. Postquam dixerat, cū modestia corripiendos esse diuersa sentientes, protinus addidit, nequando det illis Deus poenitentiam etc. allegat V. Beda circa hunc locum Nam quos Iesus respicit plorat teste Ambrosio. Negauit siquidem primo Petrus et non fleuit (inquit) quia nō respexerat dominus, negauit, secundo nec fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus, negauit & tertio, respexit Iesus & ille amarissime fleuit. Et vsus apostrophe, Respice inquit Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere pecca.

CATECHIS. POENITENT.

peccatum, lauare delictum etc. super Luc. 23. Hiero. quoque 31. Iere. Conuerte me & conuertar, quia tu Dominus, Deus meus, postquam enim conuertisti me siue captus sum (quomodo Paulus ad Philip. 3. Si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu) egi poenitentiam (Quomodo ille iterum Galat. 1. Cum illi placuit me vocare, continuo non acquieui carni & sanguini). Et postquã cognoui siue ostendisti mihi percussi femur meum, siue ingemui, confusus sum & erubui. Ergo inquit Hiero. id ipsum quod agimus poenitentiam, nisi Dei nitamur auxilio implere non possumus. Postquã enim ait Propheta, conuerteris me, & ad te cõuersus fuero, tunc cognoscam quia tu deus meus es, & nequaquam erroris mei atque peccata interficient me. Et postquam conuertisti me egi poenitentiam. Vide hic quantum sit auxilium Dei, quamq; fragilis sit humana cõditio, vt hoc ipsum quod poenitentiam agimus nisi nos Dominus ante conuerterit, haud quaquam implere valeamus. Et postquam ostendisti mihi, vel ipsam poenitentiam, vel tui notitiã, siue cognoui te, percussi femur meũ, quod
dolen-

dolentis atq; plangentis, & super errore
 pristino, plorantis est iudicium, vt fe-
 mur manu percutiat, & stultū se ante fuis-
 se fateatur. Confusus sum, ait, & erubui,
 siue ex die confusionis, quod enim tempus
 non est confusionis nostræ si recordemur
 peccata nostra, & omnium quę male egi-
 mus capiamus memoriam? Ita ille in cō-
 mēt. super Iere. 31. Hinc Psalmus 84. Con-
 uerte nos Deus salutaris noster precatur
 Dauid, vti alias non raro. Et Amos 1. & 2.
 pro ingenti quodam malo, quod haud te-
 mere quisquam possit auertere commina-
 tur Dominus super tribus sceleribus &
 quatuor à se peccatorem non conuersum
 iri, id est. Si Hiero. hic & habetur distin. 1.
 de poenitentia cap. super August. lib. 1. de
 ferm. Domini in monte. Isido. libro. 2. de
 sūm. bo. cap. 17. & 23. Gregor. Magno Ho-
 mil. 16. alijsq; credimus. Si malę suggestio-
 ni accedat delectatio, delectationi vero
 consensio autem operatio & hinc de-
 mum impudens defensio, aut impoenitēs
 in peccatis gloriatio, ostentatione (Nam
 his peccatum numeris gradibusq; perfici-
 tur cum illis locupletissimis testibus, tum
 D. Gratiano distinct. 6, cap. pensandū.) Et
 Augu.

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

August. lib. de fid. ad Petr. diaco. cap. 31.
 Firmissime crede ait, & nullatenus dubi-
 tes, nullum hominem posse poenitentiam
 agere nisi quem Deus illuminauerit, &
 gratuita sua miseratione conuertit, iuxta
 illud 2. Tim. 2. Ne forte det illis Deus pœ-
 nitentiam etc. Et cap. 32. Neminem quã-
 uis doctum, quamuis studiosum, quam-
 uis conantem, sine Dei gratia, & miseri-
 cordia præueniente, posse obedire man-
 datis diuinis asserit. In quibus sane vsque
 adeo infimum locum, poenitiæ præ-
 ceptum non habet vt hinc & Ioannē bap-
 tistam Christi Isagogum, Christumq; ip-
 sum, Petrum, Paulum, reliquosq; Apосто-
 los omnes, Euangelicam doctrinam ex-
 orsos conspiciamus. August. item in libro
 de diff. orthodox. fid. Siue Eccle. dog. cap.
 cap. 26. citans diuum Sozo. papam scribē-
 tem ad totius orbis Episcopos super hac
 re dicit omnia studia, opera & merita san-
 ctorum, ad Dei gloriam & laudem esse
 referenda. quasi authoris, neminemq; aliū-
 de illi placere, nisi ex eo, quod ipse dona-
 uerit, eam vero summi pont. sententiam
 omnes Africanos Episcopos, tanquam o-
 raculum accepisse, id quod prosequitur
 inde

inde ad cap. 51. vsque vbi sic per elogium
 habet. In omni bono opere, non nos inci-
 pimus, & postea per Dei gratiam adiuua-
 mur (quod volebant Pelagiani. Nam tria
 aduersus Pelagianos catho. defendit eccle.
 eodem teste. Primo gratiam Dei non se-
 cundum merita nostra dari, & dona Dei
 esse, gratiamq; diuinam, etiam ipsa merita
 iustorum vniuersa. Deinde in quantacūq;
 iustitia, sine qualibuscunq; peccatis in hoc
 corruptibili corpore neminem viuere, ac
 tertio, obnoxium nasci hominem peccato
 primi parentis & vinculo dānationis, ni-
 si reatus generationis, regenerationē sol-
 uatur, quemadmodum de duobus primis
 citat Cypri. in oratione dominica lib. de
 perseue. cap. 2. Et in tertio defendendo, &
 primo, & secundo totus est August. in o-
 mnibus quæ scripsit contra Pelagianos)
 non inquam nos Deum eiusq; seu benefi-
 cium, seu officium præuenimus, sed ipse
 nullis præcedentibus bonis meritis & fi-
 deliter requiramus, & post baptismum, cū
 ipsius adiutorio, ea quæ illi sunt placita im-
 plere possumus. Vnde manifestissimè cre-
 dendum, quod & illius Latronis cui para-
 disum Christus promisit Luc. 23. Et Cen-

b turionis

CATECHIS. POENITENT.

turionis Cornelij cui dominus Petrus destinauit Act. 10. Et Zachari qui tam obuius anu-
no, obuijsq; vnus Christum excepit sua mesa
Luc. 19. Adde si placet Magdalene & om-
nium publicanorum meretricum, pec-
catorum deniq; vniuersorum, qui eripue-
runt scribis & pharisais regnum Dei illa
tam admirabilis fides non fuerit de natu-
ra, sed diuinae gratie largitate donata hac
ille ibi non enim solum inquit cum agitur
poenitentia, sed etiam vt agatur misericor-
dia Dei necessaria est, In Enchirid. cap. 82.

POENIT. Si vsque adeo igitur poeni-
tentia est beneficium Dei, vt non solum
non perficere sed neque velle, neq; mente
saltem concipere ac cogitare possumus
boni quicquam ex nobis tanquam ex no-
bis, sicut frequenter est suggestu proclama-
rum audiui, quid tantopere omnes pro-
phetae, omnes apostoli, omnesq; doctores
nos ad poenitentiam non modo inuitauit,
sed impellunt etiam, dira q; minantur ni
aggrediamur eam ac si in nobis situm esset
potius, aut certe iuxta atq; in Deo capes-
sere eiusq; inire foedera? Concionat.

CATECH. In bono poenitentiae sicut
in reliquis omnibus bonis operibus no-
strum

strum aliquid est, et aliquid illudq; potius
 Dei, Dei namq; est vnde vel vt cogite-
 mus, velimus, faciamus, nostrum est, quod
 cogitemus, velim⁹, faciamus, Dei est quod
 præueniat nos in benedictionibus dulce-
 dinis; quod operetur in nobis siue velle
 siue perficere, nostrum autem quod co-
 operatori Dei simus, vnde est illud fre-
 quentissimum tritissimumq; in ore D. Io.
 Chryso. Afferamus etiã quod nostrũ est.
 Et illud August. lib. 4. confes. cap. 3. Qui fe-
 cit te sine te, non saluabit te sine te. Et ip-
 se sane quod suum est facit semper sedulo
 præstatq; affluentem, quod vero nostrum
 est exigit clementer, nihilq; illi in votis
 est magis, quam vt nos illi tam simus fi-
 mus fideles, integriq; debitores, quam ip-
 se nobis, integer, comis, humanusq; est
 creditor, & operam nauanti, ipso interim
 cooperante, operam comodemus vicariã.

POENIT. Quid igitur vt planius dicas
 istaq; oĩa perstringas semel est penitẽtia.

CATECH. concio est sacramentum
 à Christo pro iustificando impio institu-
 tum, omnibus à baptismo lapsis necessa-
 rium, contritione, confessione & satisfa-
 ctione constans.

CATECHIS. POENITENT.

POENIT. Multò ego secius crebrò didici à meis poenitentiam optimam esse nouam vitam.

CATECH. Concio. Et ego abste hoc discere velim tuos quos voces?

POENIT. Fatebor ingenuè nam iam descivi ab illis fabros, pictores, textores inquam.

CATECH. Concion. Hem tantum illis ocij esse, abs rebus suis aliena vt curent? Et cuiq; fere plus ocij quam negocij in negotio maximo, eosq; fere velle omnium & quidem difficillimarum artium magistròs esse qui suarum, vix sint idonei discipuli? Sed hæc missa faciamus, ad hæc nequitiam quis fenestram cum primis aperuerit haud satis scio, id liquet Desid. Erasmus (non dicam Luthero ansam præbuisse quanquam id vulgo ferant) sed lapsum profecto, parumq; aut suæ eruditioni vel autoritati reliquæ, hic sensisse paria. Quanto porro melius August. Ambro. Chrysof. Greg. Magnus, Isido. Hisp. Smaragdus, & ceteri quos allegat D. Gratia. dist. 3. de poenitentia. Qui poenitentiam ita diffiniunt & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Nam
& L.

& L. An. Senec. lib. de moribus, duorum temporum maxime habendam curam ducebat, & eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gessimus. Quis enim vnquã poenitudinem sine poena, tædio, pudore, atq; dolore veram esse censuit atq; perfectam, vel apud humaniores siue politiores scriptores (quos vocant? Terentius M. Tull. familiaris equidem ita plerosq; ingenio nos esse, nostri nosmet vt poeniteat affirmat M. Cice. in suo Catone siue lib. de senectute num igitur si centesimum vixisset annũ senectutis suę eum poeniteret (inquit) ac si diceret nequam. Et lib. i. officiorum ad filium studebis tu quidem quamdiu voles tam diu autem velle debebis quoad te quantum proficias non poenitebit. Et triũ certe rerum poenituit M. Cato. Cælorium illum per omnem vitam, quemadmodum de illo testantur Plutar. lib. illust. viro & Erasmus li. 5. apoph. Nempe quod mulieri cuiquam arcani quod naui iuisset, quo pedes ire poterat, & si qua dies ei inanis & sine linea (quod aiunt) per incuriam effluxisset. Et eiusmodi exemplorum Chiliadas depromere tam non esset difficile, quam non est necesse, vnde liquido con-

et C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

Stare possit nullum vnquam veterum poenituisse siue depuduisse præteritorum, siue sui punitione verecundia, supplicio. Et ex vno exēplo Menedemi Terentiani ἐαυτὸν τιμωρομένην sole meridiano (cui lucem accommodare nefas est) clarius manifestiusq; est, cui sic vsus fuit & facta opus, vt penitens sese cruciaret ita suum esse meritum, ita sese de se meruisse quod durior fuisset in filium quam æquum erat patrē, Et rectius mihi multo quam illi de christiana poenitentia sensisse videtur Iuuenal. Saty. 13.

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamui
Gratia fallacis prætoris vicerit vnam.*

Nullus enim maior est dolor teste D. Ambro. quam is qui peccati mucrone cōscientiam vulnerat, neq; onus grauius peccatorum sarcina & flagitiorū pondere etc. lib. 5. epist. 18. ad Horatianum iussisti nāq; inquit Aug. lib. 1. confess. cap. 12. Domine & sic est vt poena sua sibi sit omnis inordinatus animus quia fecisti nos ad te (ait cap. 1.) & inquietum est cor nostrū donec requiescat in te. Et Iuuenal. Saty. eadem.

Euaſſe

Euasisse putas quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verberere cædit
Occultum quatiens, animo tortore, flagellum?
Pœna autem vehemens ac multo senior illis
Quas vel Ceditius grauis inuenit, aut Rhada-
manthus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Et Senec. lib. de moribus. Nullum con-
 sciunt peccatorum nostrorum magis ti-
 mendum arbitratur quam nos ipsos, quã-
 uis enim alios fugiamus, nosmet ipsos nũ-
 quam inquam. Eò quòd nequitia ipsa sui
 poena sit, & mala conscientia sæpe tuta sit
 quidem, aut potius sibi videatur, secuta
 nunquam quod pulcherrimè explicat Ma-
 ro vulgatissimo illo carmine.

Liuidior tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas
Et totum bibit artubus cruorem etc.

Et Horat in epist. ad Lolium.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni.
Maius tormentum.

Vnde est illud apud Hero. in Thalia.
 præstat esse inuidiosum quam miseran-
 dũ, & illud omnibus inuideas liuide nemo
 tibi. Vt miser esse queas solus etc. Plautus
 quoque (de quo Mar. varr. lib. 1. de poëtis)
 hoc canit Epigramma.

b iij

Post-

CATECHIS. POENITENT.

Postquam est morte captus Plautus
 Comœdia luget, scena est deserta,
 Deinde risus, ludus, iocusq; & muneri,
 Immuneri simul omnes collachrymarunt.

Tantus eius erat lepos & in componē-
 dis edendisq; commœdijs elegantia atq;
 authoritas) hic inquā in mostellana, nihil
 miserius animo male sibi conscio testatur
 Ouidius autē Naso eleg. i. libro. i. de pōro.

*Pœnitet (inquit) o si quid miserorū creditur vlli,
 Pœnitet, & facto torquor ipse meo.*

Quumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori.

Estq; pati pœnam, quam meruisse minus,

Et mihi dij faueant, quibus est manifestior ipsa

Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Mors faciet certe, ne sim, cum venerit exul,

Ne non peccarim, mors quoque non faciet.

Et eiusmodi habet vrgetq; creberrimē
 diliniendi demulcendiq; August. quem
 (vt varia dubiaq; fert opinio) offenderat,
 ergō, in suis threnis siue de tristibus libris
 & elegijs. Et adeo quidem pœnitentię pœ-
 na cuniuncta est, vt Flaccus Horat. Homi-
 nem sibi non bene conscium describēs af-
 ferat, eum arbitrari omnes eius visuros
 cogniturosq; peccata, iuxta illud tritum
 sermone prouerbium. Quod inter ethica
 disticha, quę vulgo titulo Catonis legun-

tur

tur refertur, Consciens ipse sibi de se putat
 omnia dici, Nam si quid Quintiliano lib.
 5. Instit. orato. credimus prouerbialis sen-
 tentia est. Conscientia mille testes, vnde
 Bernard. lib. de conscientia omnium enim
 eam semper presentissimum delictorum
 testem ac iudicem ipsam esse tortorē, ip-
 sam carcerem, ipsam accusare, ipsam iudi-
 care, ipsam punire, ipsam dānare, eam esse
 librū cuiq; suū, cuius bene discutiendi cau-
 sa alij lib. oēs inuēti sunt etc. Vnde Appol-
 linis delphici oraculum, nosce teipsum,
 seu Mosaicū illud. Attende tibi ipsū quod
 differit Basil. concio. 3. & non semel me-
 minit Ambro. aliaq; eiusdē nata arbitror
 custodi teipsum, & animā tuā sollicito
 Deu. 4. Omni custodia custodi cor tuum,
 quia ex ipso vita procedit Prouerb. 4. Et
 Ambrosius dicit, mentem sibi malē con-
 sciam hominē per diuersa precipitē, age-
 re iuxta illud Prouerb. 28. fugit impius ne-
 mine persequente, & diras imagines pec-
 cati non modo vigilantem, verumetiam
 dormientem eterrere lib. ad virginem lap-
 sam cap. 9. Hinc etiam Ouid. lib. 2. amorū
 eleg. 5. Conscia purpureus venit in ora ru-
 bor. Et lib. 6. Meta. fab. 3. Heu quam diffi-
 cile est

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

cile est crimen non prodere vultu. Nisi quis ita perfrictæ frontis sit (quod haud scio an cuiquam sit possibile qui vel sensu communi polleat) vt contumeliæ Impudentiæque (nam aras atq; fana ijs dicata Athenis illis celeberrimis olî fuisse Theophrast. in lib. de legibus, & Istrus libro 14. & M, Cicer. lib. 2. de legib. memorant) litarit. Et Ouid. lib. 2. amor. eleg. 1.

Multa miser timeo quia feci multa proterue.

Exempliq; metu torqueor ipse mei.

Qui enim homo culpam admisit in se nullus est tam parui precij teste Plauto, in Aulula. quin pudeat. Est namq; in homine (quemadmodum ex Arist. lib. 1. ethic. patet, Cicer. Marc. Varro. ann. Senec. Plat. ceterisq; omnibus, tam poëtis, quam oratoribus) quædam ratio, qua vna reliquis animantibus præstemus, quæ semper deprecatur ad optima, siue quidam igniculus diuinis, seu quædam virtutum semina, vnde perpetuo cupiditas incessit ad pietatē synterisis quoq; atq; remorsus si diuersum sequimur. Vt si virtutis amore mala vitare nolumus, ipsa natura teste accusatrice, iudice vltriceq; impune nihil admittam⁹ quod rectum non est, vnde illud Medæ, aliudq; cupido

cupido meus aliud suadet, video meliora
 proboq; deteriora sequor. Vnde Pytha.
 facies autem turpe vnquam nihil, neq; cū
 alio, neq; solus (inquit) Omniū autē maxi-
 mē verecundare siue reuere teipsum, & ci-
 tat quoq; Lact. fir. Senecam. & Tull. pro
 eius rei assertione lib. 6. instit. d. 5. de vero
 cultu cap. 25. & penult. Nimirum quod
 ipsa peccati turpitudine demum cognita, tā-
 tum moeroris animo offundat, quantum
 ante ipsa illecebræ gaudij, neque alio facit
 illud Demosthe. noctem vnā multis ta-
 lentis cum meretrice famosaide licitantis,
 Tanti id est decem millibus drachmarum
 non emo poenitere, vt est apud D. Eras-
 mum, lib. 4. Apoph. & Aul. gell. lib. 1. att.
 noct. cap. 8. Et Horatianum illud Sperne
 voluptates, nocet empta dolore voluptas,
 epist. 2. ad Loll. Peregrinus autem quidam
 cognomento philosophus, Sapientem (in-
 quiebat nunquam peccaturum etiā si pec-
 catum ipsum, & dii, & homines essent ig-
 noraturi, non poenæ aut infamiæ formidi-
 ne, sed virtutis amore à peccato continen-
 dum censens, & iusti honestiq; studio etc.
 vt habet Aul. Gel. att. noct. lib. 11. cap. 11. Et
 de Seneca quoq; fertur quod nunquā erat
 pecca-

CATECHIS. POENITENT.

peccaturus etiam si dii omnes ignorarent
 & homines ignoscerent, ob peccati turpi-
 tudinem. Velim ego vero scire an Polemō
 luxuriosissimus iuuenis & inter Psalterias
 atq; tibicines et impudicas mulieres ebrius
 hederaq; coronatus saltans, ita per xeno-
 cratem eruditissimum, ad eius vitæ peni-
 tentiam sit concitatus & ex turpissimo
 mutatus in sapientissimum philosophorū
 vt est apud Aug. epist. 130. ad Cirtenes à
 factione donatistarum conuersos, quin an-
 te acti turpiter temporis piguerit præser-
 tim quod non sine diuino numine è luxu-
 rioso continentem factum asseueret. An
 Socrates Phēdonem ex cuius nomine, Pla-
 tonis liber est, de lupinari ob credulitatē
 & auaritiam Domini multorum libidini
 feruentem in academiam transtulerit vt
 habet Aul. Gell. att. noct. lib. 2. cap.
 18. & Orige. lib. 1. contra Celsum, absque
 veteris vitę poenitentia siue poenitūdi-
 ne vt latinius dicatur, id est, odio atque
 fastidio? Postremo num eos quotquot
 illi fuerunt quos sine pythagorici, si-
 ue stoici, siue academici vel peripateti-
 ci. Nam Cicero hosce nonnetenus tantū
 discrepare autumat, siue Epicurei in suā
 fece.

fecerint cōmigrare coloniā suæ opinioni
 acquiescere, & ex malis quidē bonos ex
 bonis vero meliores effecerunt veteris ne
 an nouę vitę (quod hi manibus pedibusq;
 contendunt) pœnituerit, Aulus Gell. li. 17.
 cap. 1. noct. att. taxat. Gallum asinum &
 Largium licinium, C. cero mastigas. Quod
 reprehenderint in Marco Tullio, quod
 verbo pœnitere vsus sit non solum in re-
 bus voluntarijs, quæq; ipsi facimus, aut de
 nostra voluntate arbitrioq; fiunt, verum
 etiam in ijs quę nobis aut vi aut necessita-
 te vel naturæ vitio accidunt volebāt enim
 hi quem eius pœnitere quod prius admis-
 sum, postea displiceret sententiamq; mu-
 taret erroris, neminem autem ita recte lo-
 qui pœnitere se quod natus sit, quod mor-
 talis quod offensio corpore doleat, eō
 eiusmodi rerum nec consilium nec arbi-
 trium sit nostrum, quum tamen antiquio-
 res non hoc tantum, verum etiam alio mo-
 do verbo ipso sint vsi & pœnitere ab eo
 quod est penę & a penuria dixerint Aul.
 Cell. & alij & adeo festiuissime ac face-
 tissime dixerit Mar. Circ. M. Coelium non
 penitere, non deformem sese esse natum,
 quanquam ipse verbi vsus nunc obtineat
 vt non

CATECHIS. PŒNITENT.

vt non nisi per diphtongum scribatur licet nonnunquam aliter grammaticis nonnullis (nā ab his vocū nonnunquā iudicibus sit pendet) fuerit visum, & huic planè loco competit illud Flacc. Horat. in art. poet. Mortalia facta peribunt, nedum sermonum stet honos & gratia viuax, multa renascentur quæ iam cecidere, cadentq; quæ nunc sunt in honore vocabula si voler, vsus quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi, & esto sanè diphtongo penitudinem legamus, nusquam tamen vnquā sine pœna temerè cuiquā obtinisse asseram, neq; quemquam nisi temerarium asserturum arbitror. Equidem Aug. (vt æstimo) videns omnes ante philosophos oratores, atq; poetas (quemadmodū apud grāmaticos nouū marcell. Festum pompeum, Seruū Iunij Moderati Priscianum, aliosque legere est, verbo pœnitere, non nisi in rebus dolendis, ijsq; præteritis fere ac malis uti, ipsam etymologiam aperiens lib. de vera & fal. pœnitentia cap. 19. Continuè (inquit) dolendum est de peccatis, quod ipsam dictionis virtus declarat. Pœnitere enim est pœnam tenere vt semper puniat in se vlciscendo quod
com-

commisit quis peccando. Similiter Sipōt.
 grāmat. & Isidorus lib. 6. ety. cap. 19. Pœ-
 nitentia ait, dicitur quasi punientia, vt in
 se pœnitendo puniat, quod commisit, &
 impunitū non sinat, qui vt Deus sibi par-
 cat cupit, adiungitq; pœnitentiæ velut co-
 mites ceu pedissequas, satisfactionem, re-
 conciliationem, exomologesim id est cō-
 fessionem litānias & supplicationes feria-
 les, quas à supplicijs nomen habere perhi-
 bet. Equidem vnus Seneca verbi signifi-
 cationem satis declarat in sua Agamemno-
 ne tragæd. 7. vbi sic Ægyptum affatur Cly-
 temnestra, se nunquam est ad bonos mo-
 res via quem peccasse pœnitet penè est in-
 nocens, quis enim nesciat illud Ambro-
 alibi de præteritis nō est pœnitētia, nihil
 esse quā quod refert Arist. li. 5. ethi. hoc so-
 lo deus carere videtur vt quod factū est in-
 factū nō possit facere, & quod inquit Te-
 rét. in Phor. quod factū est infectū fieri nō
 potest, sed quum rebus nomina seruiant
 nō aurē his illæ, deq; re controuertatur,
 de nomine haudquaquē ne inter illos cēsea-
 mur quos critolaus phaselites non inepte
 vocauit ὀνοματομάχους id est dimicantes
 de nominib⁹ peniti⁹ rē ipsam inspiciamus
 & quanta

CATECHIS. POENITENT.

& quanta res ipsa est, tanta sit & oratio
qua utimur ne prælocutio prolixa res ex-
igua existimetur. Quamq; id nemo iuerit
inficias hanc poenitentia nomenclaturam
non plene perfecteq; significare rem hanc
quam nos Christiani intelligimus. Et me-
lius significantiusq; græcis appellari quam
nos latine possumus dicere resipiscenciam
vt inquit Fir. Lactan. Resipiscit enim ait, et
quasi mentem suam ab insania recipit quæ
errati sui piget, castigatq; seipsum dementi-
æ & confirmat animum suum ad rectius
vnuendum, tum illud ipsum maxime cauet
ne rursus in eosdẽ laqueos inducatur etc.
lib. 6. de cult cap. 24. Tertull. quoq; decla-
rans quomodo poeniteat nonnunquã deũ,
dicit non esse eiusmodi poenitentiam qua-
lis est in homine, nimirum ex recordatio-
ne aut delicti, aut alicuius boni operis in-
gratia, in quantum enim Deus neq; ma-
lum admittit, nec bonum damnat, & pro-
inde nec poenitentia boni aut mali apud
eum est locus neque ex aliqua improvidẽ-
tia aut leuitate, vel alicuius boni vel mali
damnationem iniqua sicut humana repu-
tatur sed simplex sententia prioris con-
uersio, quæ etiam in homine possit admit-
ti suo

ti sine reprehensione nedú in Deo, cuius
omnis sentétiā culpa caret, pœnitétiā dici-
tur. Nā & in græco sono pœnitétiæ nomē,
nō ex delicti cōfessione, sed ex animi de-
mutatione compositū est, quā apud Deum
pro rerū variantiū sese occurſu fieri asse-
rim⁹, lib. 2. cōtra marcionē. Vbi videre est
illā mutationem qua ex ipſo fit iustus quis
per pœnitétiā & mutationē, qua Deus mu-
tat sententiā, si nos mutamus vitā non esse
similē. Ibi enim pœnitētes verē mutantur,
nā pœnitentia mutatio quædā est teste D.
Hugo. de S. Victo. in anno. super epist. Ro-
ma. circa c. 11. qua pœnitentes ex alijs alij
fiūt, estq; termin⁹ à quo (vt loquitur Ari-
sto.) & terminus ad quē. In Deo autē non
ita, Sed mutatus tantū videtur nobis, quia
nos mutati sumus per pœnitentiam. Ipse
autem semper idem est, quia ad omnia se-
se ab æterno præparauit atq; ita, alium sen-
tiunt boni aliū mali, aliter nunc secus alias
sese habere videtur, quæ omnibus sese ac-
commodans, omnibus vti nouit etc. quē-
admodum docet August. lib. 14. de ciuita-
te Dei cap. 11. & lib. 17. cap. 7. & lib. 2. quæ-
stion. 4. 2. ad Simplicianum & alibi. Illa
igitur Dei pœnitentia tropica est humana

c

autem

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

autem & Christiana vera, realis, atq; pœnalis mutans mentis affectionem, inq; aliū habitum transformans, declinans nampe siue diuertens à malo cui affluevit & faciens bonū vt habet Psal. 33. & 36. Et hinc quidem vtrunq; terminum, cū græci, tum latini vniuersi in vera pœnitentia inclusos volunt. Quemadmodū est apud Gratian. in omnibus dist. quas de pœnitentia compilauit legere. Quamuis latini omnes pœnitentiæ nomen & Christiani & Paganī vti habitum est ab ipso malo, quod odisse, abiecisse, abrenunciauisse primum oportet. Græci autem ab illo quod secundum est, & propter quod tanquam finem vltimum, mutationisq; terminum, primū fieri necesse est sortiri voluere. In re ipsa ad amussim congruentes, sicq; amicè coniurati vt neutrum sine altero sufficere, cūcti pariter arbitrentur, veræ enim pœnitentiæ finitio ait D. Theophy. super illud Ionę 3. Reuersus est quisq; à via sua praua & à malo quod erat in manibus ipsorū Non tantum Ieiunio, & sacco, & maceratione sui vti, Deumq; suppliciter præcari, verumetiam mores corrigere aliamq; viterationem instituire est. Similiter Chryso.

Ho. 1.

Ho. 1. de poenit. Et Basil. ex industria aper-
 tis scriptis declarat in summis moralium.
 Sum. 1. cap. 3. & 4. Quod oportet pæniten-
 tes amare flere & reliqua quæ pænitentia
 propria sunt ex corde demonstrare, & nõ
 sufficere ad salutem secessum solum à pec-
 catis quemadmodum etiam August. lib.
 de pæniten. medicina cap. 5. & Homil. 50.
 quæ est de utilitate ac necessitate pænité-
 tiæ cap. 15. & quod mirum est allegat præ-
 ter alia eodem facientia Polypus ille polo-
 nus Modremus cap. 9. lib. 4. comment. de
 emendenda Repub. Nam hisce titulis ve-
 lut fucis suam prostituunt pandorã id est
 scabiem magis putidam, quam fuerit He-
 siodana illa pandorã multi pluris affricant
 & luce clarius meridiana propemodum
 apud Simeonem Metaphrast. patet in vita
 S. Sabæ cuius festa tunc seruabantur 5.
 Decembris. Et in vita D. Ambrosij qui
 colebatur in Decemb. Et in vita S. Spi-
 ridonis cuius memoria agebatur 12. De-
 cemb. Et in pænitentia Theophili cui sa-
 cratus erat dies 4. Februarij alijsq; diuis in-
 numeris probatissimũ est, præsertim Mo-
 nachis, & vel ex vno Cassiano (vt reliquos
 omittam Ioannem Climacum Euseb. Ce-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

sa. Nice. Callist. Cassiod. Ruff. Sozome. So-
 crat. etc.) liquet. Ceterum de ijs postea ha-
 bebatur, hoc haectenus sufficiat monuisse
 pœnitentiæ rationem non esse id quod vo-
 lunt neoterici, Imo præposteri euangelistę
 isti nouam vitam: Quanquam interim nõ-
 nunquam Fir: Lactant: nihil aliud appel-
 let agere pœnitentiam quam profiteri, &
 affirmare se vltterius non peccaturum: lib.
 6. de vero cap. 13. Et August. lib. 1. de doct.
 christ. cap. 18. Pœnitentiam vocet animi re-
 formationem quasiq; renascentiam. Sed
 idcirco illud dicit Lactantius ne quis puta-
 ret sibi licentiam peccandi à Deo dari, eò
 quòd largitione & misericordia diuina
 peccata tollantur etc. Vnde August. Chri-
 stianis paganos obijcere solitos comme-
 morat, quod dando hominibus pœniten-
 tiæ locum, promittendoque peccatorum
 omnium impunitatem mores ac discipli-
 na humani generis corrūperetur, eo quod
 homines securius peccarent impunitatis
 spe maxima (teste Tul. peccandi illecebra.
 Atqui dicit hominem discutere debere
 suam conscientiam, & ascendere tribunal
 mētis suæ, neq; sibi parcere, sed examina-
 re donec respōdeat cordis medulla vtrum
 audeat

audeat innocentiam profiteri, sicque omnino resipiscentibus nobis pœnit. nisi perpetuo miseri esse velimus. Imo apud nos statuendum, adeoque à Deo institutum agnoscendum, appetendumque impunitatis portum omnibus peccatoribus, quales omnes sumus necessarium etc. Circa illud Psal. 101. Cinerem sicut panem manducabam etc. Et eidem obiectioni paganorum eodem modo respondet latè libro de vera & falsa pœnitentia cap. 2. & 5. tractans illud Rom. 6. Peccabimus ergo ut gratia abundet etc. Item lib. de spiritu & lit. cap. 6. tractans eundem locum permanebimus in peccato etc. Similiter lib. de utilitate pœnit. cap. 3. et iterum Hom. 27. de eo quod est Psal. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis etc. deinde lib. de gratia & lib. arb. cap. 22, circa illud lex subintravit ut abundaret peccatum: Rom. 5. Et diu ante eum Tertull. li. de pœnit. sub medium, & Basil. mag. in cōtione de pœnitentia. Eius enim generis descriptionis tales sunt quales illa Horatii est in expist. 1. ad mecenatē virtus est vitium fugere. Et sapientia prima stultitia caruisse ceteraque; eiusmodi innumera. Ambro. namque pœnitentiam veram post Athanas. li.

c iij de ver-

11 CATECHIS. POENITENT.

de verbi humanitate, cessationem à peccato appellat. super illud 2. Cor. 2. ita vt ecōtra magis donetis & ser. 22. in psal. 118. erroris renunciationem fugamq; bonam, dicit quoq; lib: de fuga secul. cap: 6: Tertull: lib: de poenit: secundam post naufragium tabulam, Idem facit Paçianus Episcopus Barçilonensis epistola 1: & 2: ad Sympro- maū Nouatia: alioq; quōdam ad eundē tractatu contra Nouatianos. Item Ambr: lib: de virgine corrupta. Et D: Hiero: in cap: illa: & epistola: ad Demetriadē, & epist: 2, ad Pammach: & Oceanum & Cy- prianus, & Chrysof: & Hier: & Lactant: & Basil: & Grego. Naz: alijque omnes mo- do sui correctionem modo vulnerum & peccatorum sanationem, modo Asylum, modo spem portumq; salutis, modo antidotum & medicinam appellant, aliaq; eiusmodi plurima illi quōdam venerabi- li penitentia nomini induunt epitheta: Adeoque August: de medicina peniten- tia librum inscribit: Est siquidē totius re- ligionis Christiane pene pedagogia peni- tentia: Atqui quemadmodum pedagogia nunc capitur vt sit eius quæ dicitur & dis- cit modo vt sit eius quæ ducit & docet,

nonnun-

nonnunquam vero ipsa deductio & instructio, & alias ea ipsa quæ docentur præcipiunturque quod inquit Clemens Alexand. lib. 1. pæda. cap. 7. Ita poenitentia rationem nonnunquam à principio, aliquando à medio non raro à fine metiuntur doctores catholici, & græci & Latini.

POENIT. Mihi abunde satisfactum est, nunc quomodo sit Sacramentum à Christo institutum expedi.

CATECH. Concio: Audisti sanè ni fallor si vel à limine politiores ut vocant musas vnquam salutauisti; Ausonij illud lycium totum personare solitum.

Sum dea quæ facti non factiq; exigo pœnas.

Nempe ut poeniteat lic Metanoëa vocor. Ut nouitatis studium mirari non desinam in Des. Erasmo qui præter contraq; omnem veterum consuetudinem & christianorum & gentilium, poenitentiam nõ à poena sed à pone tenendo dictam asserit in catalogo suarum elucubrationum, siue ut August. loquitur retractationum. Nam poenam qua quis sese afficit propter offensam potissimum Dei, deinde etiam obiecturam vitæ æternæq; beatitudinis, & damnationis, discrimen in quod quis se com-

CATECHIS. POENITENT.

mifit (vt contraria contrarijs, iuxta Hippocratis, Arist. Galenique axioma curētur, & in contritione dolor, in confessione pudor, in satisfactione labor fit, sicut per cordis malè iucundas voluptates, oris impudentiam, operis facilitatem & supinam pronitatem delictum est) hanc inquā poenam, mulctamq; sacramentum esse, siue signum sensibile ex Christi autoritate atque institutione & promissione efficax gratiæ, cum ex scripturis contra quas nemo Christianus, tum traditionibus & definitionibus ecclesię quę est mater omnium nostrum, contra quas nemo pacificus. Et postremo rationibus quas ergo nemo sobrius sanæq; mentis (nam his modis probationum utitur August. lib. 4. de Trinit. cap. 6. quem libenter velut sacram anchoram amplexamur) mox probabimus: Sed illud prius dicendum M. Tull. Cicer. in ea fuisse hæresi quemadmodum refert ex lib. academicis D. Fir. Lactant. ijs qui à via iustitiæ virtutisq; deerrauissent, nunquam poenitendo errorem corrigere fas esse, nullumq; esse modum siue à natura, siue à præside naturæ Deo esse institutum, quo antea malè vitæ, resarciri temeritas

tas queat, quod refutās ipse Fir. Lactantius dicit nunquam animum despondendum, siue cupiditate, siue libidine, seu alio quocunq; modo lapsus sit quis, posse vero reduci quemque ac liberari si actorum poeniteat & ad meliora conuersus satis Deo faciat. Nam si liberos nostros cum delictorum suorum criminis poenitere correctos esse putamus, & abdicatos abiectosq; rursus tamen sustentamus, suscipimus, fouemus, amplectemur (inquit) Cur desperemus clementiam Dei patris poenitendo (vide modum siue cæremoniã) posse placari? Nam ipse Dominus ac parens indulgentissimus, se pænitentibus peccata promittit obliteraturum & in æternam obliuionem daturum Ezechiel. 18. & 33. Sicut enim nihil prodest male uiuenti anteactæ vitæ probitas, quia superueniens nequitia, iustitiæ opera deleuit ita nihil officium peccata vetera correcto, quia superueniēs iustitia labē vitæ prioris aboleuit. Is enim quē facti sui poenitet errorem suum intelligit pristinum etc. lib. 6. de uero cult. ca. 24. Et Cypria. circa illud symboli Apostolici Remissionem peccatorum, de remissione peccatorū sufficere deberet (inquit)

CATECHIS. POENITENT.

quit, sola credulitas. Quis enim causas aut rationem requirat vbi indulgentia principalis. Et tamen cum terreni regis liberalitas discussione non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur diuina largitio. Solent enim cum irrisione dicere aduersum nos pagani quod ipsi nos decipiamus qui putamus crimina quæ operæ commissa sunt verbis posse purgari, & aiunt. Nunquid potest qui homicidium commisit homicida non esse, aut adulter non videri qui adulterium perpetravit? Quomodo huiuscemodi criminum reus sanctus vobis effici videtur & purus? Sed ad hæc vt dixi melius fide quam ratione respondeo. Rex enim est omnium qui promisit, terræ cæliq; Dominus est, qui hæc pollicetur, vis vt ei qui me hominem ex terra fecit credam quod ex criminoso me faciat innocentem, & qui me cum essem cæcus fecit videre vel cum essem surdus audire qui mihi claudo dedit gressum Innocentiam mihi perditam non valeat reparare? etc. Sic ille Similiter aduersus paganos aut verius nostræ ætatis hæreticos D. Tertull. lib. de poenit. Nā supplicia quædam manere impios quandamq; poenam expian-

expiandis, abolendis, eleuendisq; non vſ-
 que adeo grauib; peccatis id est sanabili-
 bus (vt ita dicā & verbis platonēis vtar)
 diuinitus institutam aſſertor eſt D. Plato
 ille academiæ facile princeps, quem Num.
 Pythagoricus nihil aliud quam Moysen at-
 ticè loquentem eſſe aſſerit, teſte Eusebio
 Cæſa. lib. 1. præpa. Euange. cap. 6. & lib. 9.
 cap. 3. In gorgia in phedone, lib. 10. de re-
 pub; & alibi. Item Epichar. diphilus Cō-
 micus Plotinus, alijque plurimi quemad-
 modum videre eſt apud Theodoret. in
 cotrect. græ. c. 5. de pænitentia ſer. 6. & 11
 etc. Et D. Iuſtinus philo: & martyr idē aſ-
 ſerit ex compluribus cum philoſophis tū
 pœniſ lib. de monarchia, & in ſua ad gen-
 tes pærenēſi ſue exhortatione. Et Euseb.
 Cæſaren. lib. 11. de præparat. euang. cap. 20.
 & lib. 12. cap. 12. & 13. Et Lact. ſir. li. D. du-
 ſtū. 7. aduerſus gentes. 5. de premio diuino
 extremoq; iudicio præſertim cap. 20. 21. 22
 etc. Item libro de ira Dei ad Donatū mul-
 tis cap. Et in epitome inſtitut. diuini. cap. 9.
 etc. Clemens quoq; Alexand. lib. 5. ſtro. &
 in ſua exhortatoria oratione ad græcos ſeu
 gentes; & lib. 1. pædago. cap. 8. 9. & 10. Et
 Auguſt. lib. 13. de ciuit. Dei cap. 19. etc. Et
 Greg.

CATECHIS. POENITENT.

Greg. Naz. cum in orationibus ad gentes,
 tum in orationibus aduersus Iulianū apo-
 statam Augustum. Basilius quoq; et Greg.
 Nyss. in suis ad gētes hortationibus aliq;
 alibi. Denique Marc. ipse Circ. lib. i. qua-
 stion. Tuscul. ex Platone refert poenam
 quandam ultione diuina irrogari impijs,
 decerni vero iustis præmia atq; honores.
 Et hinc fortè natus est error (sunt enim
 philosophi patriarchæ hæreticorum quæ-
 admodum habet Tertull. lib. de anima in
 initio) Origenistarum aliorumque poe-
 nam neq; impiorum hominum, neq; dæ-
 monum ex erronea quadam misericordia,
 fore æternam censentium, sed poenitentia
 quadam & afflictione vel tandem animas
 quibuscunq; peccatis obnoxias purgādas
 & quasi medicinali antidoto curandas,
 quam hæresim confutat August. lib. 21. de
 ciuit. cap. 27. & sequentibus ad finem vsq;
 libri. Et de hæresibus ad Quotvultdeum
 hære. 43. Et Epipha. To. 1. lib. 2. hæres. 64.
 Et Athanas. lib. de communi patris & fi-
 lij & spiritus sancti essentia sub finem.
 Et Hiero. super Isa. 25. Et super Ionā cap. 3.
 & epistola ad Anitum vbi docet quid ca-
 uendum sit in libris πειρῶν ἀρχῶν & in ijs
 quæ

quæ scripsit cōtra Ruffinum: Quanquam
 non modo ex scripturis, verumetiam ex
 ipsis quoque supradictis philosophis per-
 suasum est satis, quædam peccata ita esse
 graua vt insanabiles incurabilesque hinc
 animos transmittant: Deinde porro alius
 emerfit error Catharorum id est mundo-
 rû (sic quippe se nuncupabant) autore No-
 uato Ecclesię romanæ præbytero nō illo
 ad quem scripsit tres libros de Ira, Ann.
 Senec: Hic enim philosophus, ille autem
 Christianus confessor, decij tyranni tem-
 pore fuit, atq; hic quidem putauit lapsis in
 aliquod peccatum mortale negandā pœ-
 nitentiam, & elatione quadam tumidus,
 quū ipse perstitisset nullis persecutionum
 vndis fractus à fide immobilis, multiq;ue
 alij seu tormentis, seu blanditijs fidem ab-
 iurassent, spem illis penitus salutis, adi-
 mens ad eos nō pertinere pœnitentię me-
 dicinā arbitrabatur, & iam proprietatem
 sacerdotalem nullas posse exerere vires,
 sed si quidem agerent pœnitentiam ab ip-
 so vnoq; Christo expectādam remissio-
 nem, non autem ab Ecclesia, vtpote qui
 sentiret, neq; pœnitentię à Christo cla-
 uiumq; institutionem huc sese extendere
 sed ad

CATECHIS. POENITENT.

sed ad peccata venialia duntaxat & qualia sanctus Ioannes Euangelista in illis habet quæ non sunt ad mortem 1. Ioan. 5. Hanc hæresim damnauit conciliū Rom. episcoporum 60. & præbyterum totidem cum diaconis plurimis statutumq; est & per omnes prouincias, decretales epistolę destinata Nouatū cū suis ab Eccles. Cath. & Apost. alienū esse, quod inhumanā istam & nihil fraternæ charitatis habentem (unde græci καθαρῶς id est mundos, verius mundanos & immūdos illos μισανθρώπους καὶ μισαδελφούς appellabant) sententiā cōmentus mentis elatione infirmos in desperationis pelagus deturbasset, eos autem qui lapsi fuerant fraternæ miserationis oblitus grauius collisisset etc. vt habet Euseb. Cæsar. lib. 6. Eccles. histor. cap. 33. Et Haymo libro 6. cap. 13. & lib. 7. cap. 1. de memoria rerum christianorū, et Theodoret. lib. 3. de fabulis hæret. Et Nicep. lib. 6. cap. 3. & 5. Dicitque eum aspirasse ad gubernationem siue apicem Romanæ ecclesiæ, eaq; spe frustratum à fide & religione orthodoxa desciuisse (vt fit prohi dolor) Hunc refellit latissimè Epiphphan. To. 1. lib. 2. hæres. 59. Et August. de hæ-

de hæres. ad Quod vult deum hæres. 38. Et
 epistol. 108. ad Seleucianam de baptismo
 & pœnitentia Petri : Et in quæstionibus
 ex utroq; mistim q. 102. quæ est quomo-
 do contra Nouatianos sit contendendum
 qui negant pœnitentiam salutarem ac alias
 sapissimè. Et Cyprianus in epistola ad No-
 uatinum §. quod spes veniæ lapsis non est
 deneganda, sermonemq; integrum iuxta
 ac doctû instituit de lapsis. Similiter epist.
 2. lib. 2. docet, Antomano non esse com-
 municandum cum Nouatiano, nemineq;
 abercendum à pœnitentiæ instituto, super
 eadem re scribit epistolam primam lib. 1.
 ad Cornelium, & epistolâ secundâ decre-
 talem episcoporû africanorum ad eundem,
 Item epistolam tertiam, eumq; cõdemna-
 tum memorat atq; eiectum velut anathe-
 ma ab Ecclesia, commendatq; Cornelium
 quod ipsius quoq; censura sit excõmuni-
 cat⁹, et quû multa prædicet de primatu pō-
 tificio cēsuraq; ecclesiastica, inter cetera di-
 cit nō aliud de hæreses vnquã esse obortas
 aut nata schismata quam inde quod sa-
 cerdoti Dei non obtēperatur, quod vnus
 in ecc. sacerdos ad tēpus et vice Christi ad
 tēp⁹ nō cogitatur, cui si secūdū magisteria
 diuina

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

diuina obtemperaret fraternitas vniuersa nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post iudicium diuinum, post populi suffragiū, post Episcoporum consensum, iudicem se non iam episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet nemo sibi placens ac timens, seorsum foris nouam hæresim conderet, nisi ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, quū Dominus in Euangelio Mat. 10. dicat: Nonne duo passeres veneunt a se, & neuter eorum in terram cadit sine patris vestri voluntate? Cum enim ille nec minima fieri sine voluntate Dei asserat, existimat aliquis summa & maxima aut non sciente, aut non permittente Deo in ecclesia Dei fieri, & sacerdotes id est dispensatores eius non de eius sententia ordinari? etc. inquit, Similiter episto. 8. lib. 2. commendat industriam Cornelij contra Nouatum contra Nouatianum eosq; à toto cōcilio africano damnatos perhibet & Nouatum præter ambitionem & arrogā-tiam perpetuo nouitatis studio flagrasse etc. Et alias frequenter agit aduersus hanc mundi

mundi labem vndequaquam grassantem. Hiero: quoque libro 2: contra Iovinianum hunc errorem damnat, eundemq; impingit Mōtano in Epitaphio Fabiolę ad Oceanum, & in catalogo scripta eccles. Sicut etiam Epiphanius donatistis li. 2. to. 2. hæret 59. In catalogo autē dicit Hiero. Novatianum Romanę ecclesię presbyterum (nam alius fuisse videtur à Nouato) Primo D. Cyp. Cart. presbyterū Nouatū habuisse autorem atq; ita inuadere voluisse cathedram pontificis Cornelij D. Amb. duos contra Novatianos libros edidit, & lib. 1. cap. 15. Novatianum amissi episcopatus dolere succensum schisma composuisse. Quid Chrysost: Basilios, Gregorios Naz: & Nyss: Hilarios, origenes, Tertullianos, Irenæos, Ignatios, Carpos, Areopagitas, Polycarpus, Leones, Chrysologos, Gregorios Magnos Bernardos, Postremò alios omnes loquar, quos enumerare longum est ab ipsis Christi Apostolorumq; temporibus huc vsq;, qui toti in hoc fuerunt (nam hæc quoq; euangelici & Apostolici muneris non minima pars est) vt peccatores ad poenitentię remedia à Christo instituta reducant? D. Pacianus ante Hier.

d tempo-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

tempora parænesim ad pœnitentiam fecit
 aduersus Nouatianos epistolasq; ad Sym-
 pronianum aliosque Nouatianos scripsit,
 meminitq; eius in catal. scripto. eccle, Hie-
 ro. eumq; eruditione iuxta ac moribus,
 celebrè fuisse perhibet B. Cornelius epis-
 copus Roman⁹ & Dionys. Alexand. mul-
 ta huius conficiendæ beluę, quicquid vbi-
 que gentium locorumq; erat veteris dis-
 ciplinæ depopulantis, conscribere gratia,
 quemadmodum habet Euseb. Cæsar. lib.
 6. eccle, hist. cap. 32, 33, etc, & Niceph. lib. 6
 cap. 3. 4. 5. 6. etc, & Hiero, in catalo, scripto
 eccle, & restinctum huius flammæ incen-
 dium, sopitos excitauit ignes (quod in-
 quiunt) restaurauitq; hanc hæresim tem-
 pore persecutionis Diocletiani & Maxi-
 miani Meletius Ægyptius episcopus the-
 baidis, vti fusè lateq; tradit Epiphanius
 lib. 2, to, 2, hære: 68: & August, de hæres,
 ad Quodvultdeum hæres: 48: & dicunt
 eius factionis socios (nam error errorem
 sicut lis litem serit) ad Arrianos desciuisse
 atq; Ætianis, Ennomianis, macedonianis
 (Nam hac pulchra prole Arrium paren-
 tem fecerat nunquam quieta ambitio) de-
 niq; permistos, Cuius rei etiam Nicepho:
 testis

testis est lib. 8. eccle. histo. cap. 5. etc. Et histo. tripart. lib. 1. cap. 18. etc. Et Russi. eccle. histo. lib. 10. cap. 30. Et D. Athanasius cum in orationibus contra Arriatum in apologijs. Quam quidem sectam suo nondum ævo emortuam in Ecclesiæ catholicæ. quavis summis conatibus reluctantis morbi contagiosissimi instar penetrantem viscera D. Constantinus Augustus, hoc facetissimo ioco confutavit. Quum enim coacto concilio Nice. i. comparuisset etiam præter alios Acesius Episcopus Nouatianus, postquã diffinitio fidei à concilio scripta est, requisivit Acesum Augustus Imperator, an & ipse consentiret definitioni, atq; latæ à patribus sententiæ, at ille, nihil (inquit) noui ô Imperator Synodus diffinit. Sic enim olim à temporibus Apostolorum traditum est: Cur ergo (inquit Constantinus) te à concione separas? replicauit quæ sub persecutione Decij tyranni erant gesta. Et non oportere eos qui post baptismum peccatû quod ad mortẽ scripturæ vocant, admisere ad sacrorum communionem admitti. Sed inuitandos quidẽ ad poenitentiam, Spem autem veniæ & remissionis non à sacerdotibus sed ab vno

d ij

Deo

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

Deo expectandam, qui proprietatem ha-
 bet peccata remittendi. Cui Augustus, O
 Accedat inquit, pone ergo scalam & si po-
 tes ascēdi solus in calū, vt est apud Cassio-
 dorum ex Socrate lib. 2. hist. tripart. cap. 13.
 & Paulum diaco. lib. 14. de gest. Romano-
 rum §. de Theodosio Iuniorē, & Niceph.
 lib. 8. eccles. historiae cap. 20. hinc profli-
 gando malo tempore eiusdem Constanti-
 ni Mag. Grande volumen compilauit D.
 Rheticius Eudorum id est Augusto. du-
 rensis Episcopus eandem operam litera-
 riam praeter D. Pacianum D. Eusebium
 Eme. praestitisse refert D. Hieron. catalo.
 scripto eccle. hunc quidem Constantij, il-
 lum D. Theodos. Augustorum tempori-
 bus, huius Eusebij meminit Nicepho. Cal-
 li. Xantopulus eccle. hist. lib. 9. cap. 5. eiusq;
 vitam D. Georgium Laodicēsen cōscrip-
 sisse refert, & hoc teste multa diuinū nu-
 men per ipsum edidisse prodigia, nequa-
 quam tamen illum virtutū suarū gloriam
 siue inuidia possedisse, hec enim illam non
 secus quam corpus vmbra ferē sequitur,
 & haud temere reperias siue apud paga-
 nos siue apud christianos ab orbe condito
 qui aut nominis gloriam parauit, aut par-
 tam

tam absq; alicuius Zoili inuidia diu quã-
 tacunq; virtute præditi fuerint tueri va-
 luerint, seu ob dubiam fortunę aleam quæ
 nonnunquam altius euehit quos præcipi-
 tet, & aliquando deijcit humiliq; vix serpe-
 re suut quos quando lubet (Sic namq; nos
 iocos ludosq; ducit) in sidera efferat, seu
 vt verius christianiusq; loquamur, ob na-
 turę humanę conditionem non sine nutu
 diuino hinc rerum varietati ad vicissitudi-
 ni obnoxiam. Statutum porro est in con-
 cilio Niceno primo non modo vt lapsis
 poenitentia sacramentum administraretur,
 verumetiam vt si ipsemet Cathari & No-
 uatiani resipiscerent ab errore ad poenitẽ-
 tia remedia destinaretur, sicut habet Ruf-
 finus, qui Ecclesiasticę hist. Eusebianę ad-
 didit coronidem summamq; ad sua vsque
 tempora Manum libro. cap. 6. caño. 9. D.
 Dionysius Alexand: quũ plurima aduer-
 sus hanc hæresim scripserit præter alia hæc
 potissimum argumento est usus, quod
 sancti, martyres cum Christo in celis
 agentes & regni participes, atque iudi-
 ces, qui cũ Christo de lapsis iudicant, lap-
 sos susceperint poenitentia conversioneq;
 eorum non respuerint, scientes quod deus

cuius ipsi sunt martyres, non vult mortem morientis, sed conuersionem ac poenitentiam. Si ergo isti receperunt lapsos, & in ecclesia statuerunt, in oratione cum eis & cibo communicantes, quid nobis agendum putatis? (inquit) nonne sequi eorum sententias iudiciumq; equum est, atq; erga eos, quos illi sunt miserati, non existere crudeles trucesq;? Non puto expedire ut sententias ipsorum irritemus, miseraciones infringamus, benefacta aboleamus, rectè religioseq; decreta violemus & allegat Euf. Ca. 1. 6. ecc. hi. c. 32. & Nice. Call. 16. cap. 4.

POENIT. Quorsum ista (amabo te) iam alte petita? volebam ego discere poenitentiae actus id est contritionem, confessionem, satisfactionem, quos iniquis sacramentum esse, non aliter quam lucum ligna.

CATECH. concio. Et istuc pertinent faciuntq; plurimum quae iam diximus. Siquidem Nouatiani qui poenitentiam lapsis volebant indulgeri non negabant poenitentiam esse sacramentum, id est visibile signum inuisibilis gratiae à Christo institutum, non contritionem contemnebant, non spernebant confessionem non abominabantur satisfactionem, non detrahebant clauibus,
non

non tollebant sacerdotalem absolutionem
 Deniq; haud inficiabantur quin ceremo-
 niæ istiusmodi essent sacramentalia quæ-
 dam signa, notæq; sensibiles quibus me-
 diantibus impius fieret iustus, conseque-
 returq; gratiam Christi & peccatorû re-
 missionem, nihil minus, sed semel dunta-
 xat nempe ante baptismum pœnitentiæ
 actionem valere, post vero baptismi lava-
 crum, siue abolitum siue labefactû, & per
 peccatum gratiæ amissionem nullam esse
 spem reliquam in vllis sacramenti pœni-
 tentiæ actionibus cæterisq; omnibus sa-
 cramentis, sed in vna Dei clementia atq;
 bonitate assererant, potestatem vero cla-
 uium post lapsum baptizatis tantum pos-
 se prodesse ad peccata venialia, quæ scrip-
 tura habet in ijs quæ non sunt ad mortem
 obliteranda. Vnde Cyprian. Ambro. Pa-
 cianus, August. Dionysius Alexand: alijq;
 omnes siue græci siue latini, quos enume-
 ramus non agunt contra eos velut sacra-
 menti pœnitentiæ pœnitus negatores ac
 desertores, sed omnes id vrgent proprieta-
 tem ligandi atq; soluendi à Christo Apo-
 stolis, & in his ecclesiæ concessam Mat. 16.
 & 18: 10. 20. (eas namque ipsas scripturas
 d iij prater

CATECHIS. POENITENT.

præter alias, sicut ad nos hucusq; facimus pro asserenda clauium proprietate depromebant. Hinc enim credimus illud symboli Apostolici Remissionem peccatorum, quam particulam Simonem zelotem christianæ religionis formæ atq; normę inseruisse testis est Aurel. August. ser. 115 : de tempore, siue ser. dominicæ palmarum §. de traditione symboli) sine vlla limitatione, exceptione restrictione, aliquorumq; casuum aut peccatorum reseruatione (quã vocât) delegatam, & par ius esse sacerdotibus collatum soluendi atq; ligandi, cum ipsi ligarent quos non putabant se soluere vnquam posse ac ob id Nouatianos grauiter delinquere primum quod omnino necessarium putent vt quisquis baptismo est initiatus nunquam mortalem culpam admittat (quod quidem omnibus optandum atq; percipiendum fuit potius quam poenitentia delinquentibus neganda & desperatione peccata augenda) Deinde quod lapsis à baptismo nulla sacramenti poenitiæ remedia esse aut certè prodesse posse existiment, quamuis corde contritionem debitam habuissent ore confessionem legitimam fecissent, & opere quascunque

satisfa-

satisfactionum species exercuissent, uti pal-
 lam est apud Cassiodorum hist. tripart. li.
 2. cap. 13. Euseb. Cæsa. libro 6. cap. 33. Nice-
 phor, lib. 6. cap. 5. reliquosq; quos diximus
 seu græcos seu latinos nam omnia recense-
 re longum immensumque, D. Pacianus
 Episcopus barcilonen. pœnitentiam sacra-
 mentum appellat, verbaq; illa Matt. 18. &
 & Ioannis 20. de retinendis soluendisq;ue
 peccatis non tantum ad Apostolos verũ-
 etiam ad eorum successores episcopos &
 generaliter ad corpus ecclesiæ pertinere
 affirmat administrationẽ autem & huius
 & aliorum sacramentorum ad Episcopos
 & sacerdotes spectare in epistola prima ad
 Simpronianũ Nouati. Quod autem aliud
 sit mysterium siue sacramentum baptismi
 aliud pœnitentiæ (quãquam secus sentiãt
 Caluenistę) aperte scribit Orige. Hom. 8.
 super Leuit: Quamuis inquit vnde bap-
 tismus, inde etiam pœnitentia suam habeat
 energiam atq; virtutum, nimirũ ex Chris-
 ti passione Seleuciana sanè religiosa ma-
 trona ab Nouatianis plurimum lacerata
 scripsit epistolam ad D. August, & vsque
 adeo illos pœnitentiã prædicare magniq;
 pendere ait, vt velut vnum idemq; cum
 baptis-

CATECHIS. POENITENT.

baptismo apostolos ipsos pro baptismo, iniunxisse asserant. Quod ipse Aug. exponens, primū dicit poenitentiā sine baptismo vsq; adeo nihil prodesse iuxta apostolicā traditionē vt quāq; scriptū nō sit oēs tamē apostoli baptizati intelligēdi sint, omnesq; gētes quæ euāgelium per apostolos recepere etc. Deinde si ita id intelligatur quod poenitentiā apostoli dederūt, pro baptismo, quia per poenitentiā sicut per baptismum dimittuntur peccata aliquid (inquit) habet rationis quod dicit, sed talis poenitentia potest esse utilis post baptismū si quis peccauerit, vnde proprie poenitentes in ecclesia nūcupantur. Sed quia Nouatiani negāt poenitentiā dandā post baptismū videtur capiendum ac si diceret apostolos poenitentiā loco baptismi dedisse inquit, ita vt qui poenitentiā egissent nō baptizarētur. Quod quidē nouatianos dicere nūquā audiui ait. Sed quare an nō sit fortē aut alius error, aut aliquis putās se tueri partes Nouatianas cum illas ignoret: Aut si certe etiā hoc sentiant Nouatiani nescio. Illud scio quoniā quisquis hoc dicit à regula fidei. catol. & à doctrina Christi & Apostolorum prorsus esse alienum epist. 108. ad Seuleucia. de

cia. de baptismo & pænitentia Petri cōtra
 Nouatianos eademq; opera μεταποιμάχους
 huius nostri curriculi temporis schismati-
 cos, Cypri. quoq; ser. de ablutione pedum
 pœnitentiæ humilē statū in sacris habet,
 Idē ser. sequē. S. de vñctio. chrisimatis &
 alijs sacramētis insinuat, & in oīb⁹ scriptis
 elucubrationibus contra Nouatianos li-
 quidē demonstrat. Et August. noui testa-
 menti sacramenta paucissīma numero, ob-
 seruationē facillima, significatione præstā-
 tissima quibus societas noui populi colli-
 gatur esse tradit, et eiusmodi baptismū tri-
 nitatis nomine cōsecratū, & cōmunionem
 corporis & sanguinis dñi, & si quid aliud
 in scripturis canonicis cōmendatur excep-
 tis ijs quæ seruitutē populi veteris pro cō-
 gruetia cordis & prophetici tēporis one-
 rabāt, quæ in quūq; lib. Mosis legūtur esse
 dicit epist. 118. ad Ianua. Nā pœnitentiæ ritū
 in scripturis canonicis creberrimē memo-
 rari nemo ignorat, ipsemet enim Augu-
 dogmata eccl. tractās inter alia, etiā pœni-
 tētiā cōmemorat c. 54. Et in expositione
 symboli Apostolici quæ est ser. 181. de
 tempore in vigilia pentecost. circa illud
 remissionem peccatorum liquidē indicat

ex

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

ex Christi institutione, & Apostolica ob-
 seruatione poenitentiam esse sacramentum
 Et in libris quos scribit contra donatistas
 saepe habet (occasione scilicet quod illi ca-
 tholicos rebaptizarent & omne myste-
 rium ecclesiae catholicae spernerent) sacer-
 dotem in ordine ad absolutionem eodem
 modo sicut in ordine ad ablutionem bap-
 tismale sacramentum administrare qualiscunq;
 tade ille sit, siue bonus siue malus. Idem fre-
 quens est in lib. Aug. contra Faustum Manich.
 Et Ambro. in lib. de poenit. Et Chrysost.
 in libris de sacerdotio. Idem non raro in-
 culcant, neq; profecto tam ex fructibus po-
 test arbor cognosci (quod Christus Mat. 7
 quam ex perpetuo in eccle. ortho. contri-
 tionis confessionis clauumq; Apostolica-
 rum (nam haec ad illa reciproca sunt) usu,
 poenitentiam (quae illis velut quibusdam
 numeris, modis, lutiq; absoluitur atq; per-
 ficitur) esse sacramenti speciem discimus,
 firmissimeq; credimus. Et Sessio quide-
 8. damnatus est in concilio Constantiensi
 tempore schismatis inito, & sub Martino
 5. finito anno 1417. Ioannes Wicleff an-
 glus sacramentum poenitentiae reiciens;
 iussusq; est a Synodo e sepulchro sodi atq;
 eijci

eijci . ac dari rogo flammisq; vlticibus,
 agitq; contra hunc prolixè D . Thomas
 Walden . vir vndequaquam doctissimus,
 & suo seculo nulli secundus siquid ego
 sentio . Sunt vero condemnati quoq; eius
 prodigij fautores & prædicatores Ioannes
 Huz Boemus sessio . 15 . qui viuus exustus
 est , & Hieronymus de praga Laicus ar-
 tium magister sessio . 21 . Qui proprietati
 seculari velut ignis æterni æternum fu-
 turum mancipium traditus , pyræ quoque
 addictus est , & bullam condemnationis
 conscripsit D . Martinus quintus papa vt
 habes extra & eidem pesti per Germaniã
 crancri instar grassanti altero antidoto oc-
 currere volens indixit Synodum Basileæ
 primaq; mox sessione approbata robora-
 taq; sunt decreta in cõcilio Cõstantij illo
 celeberrimo florēt . vbi inter græcos , arme-
 nios , latinoq; conuentum est , gratiaq; in-
 ter partes inita , magna cum consensione
 super diu controuersis quæstionibus de
 purgatorio alijsq; compluribus definitum
 est denique septem esse Ecclesiæ sacramē-
 ta , quartumque esse poenitentiam , cuius
 quasi materia sunt actus poenitentis in tres
 distincti partes quarum prima est cordis
 contri-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

contritio ad quam pertinet vt peccator
doleat de peccato commisso. cum propo-
sito non peccandi amplius. Secūda est cō-
fessio oris, ad quam spectat vt omnia pec-
cata quorū in mentē venit suo sacerdoti
integrē confiteatur. Tertia est satisfactio
pro peccatis iuxta sacerdotis arbitrium,
quæ quidem præcipuè fit per orationem,
ieiunium et eleemosynam, formam autem
huius sacramenti verba absolutionis esse
quæ sacerdos profert cum dicit, ego ab-
soluo te etc. Ministrum vero sacerdotem
ab Ecclesia ordinatum habentem autho-
ritatem absoluendi vel ordinariam vel ex
commissione superioris, effectum verò
absolutionem à peccatis. Ita concilium
florent. In decretis verò concilij Trident.
quod sectarij pro suo more, qui est vt aut
non comparentes excusationis aliquid fu-
ciq; faciant, vt quod monstri alunt non
prodeat in lucem, nisi mundum vniuer-
sum depopulari semel valeat aut si affuit,
quod ratione nequeūt verbis clamoribus
dieterijs superasse putētur, quod improbo
cuiq; cū illis commune est, aut principum
animos crabronibus magis iræ biliq; ob-
noxios iritent, concitēt, adq; arma inter
quæ

que lex et ratio omnis filet impellat tãquã
 equos in planiciẽ. & si queat omnis semel
 religionis dauĩ id est perturbatores existat
 celũ terrã miscentes ac (si superis placet)
 quum nihil quam viri boni nõ esse sed vi-
 deri velint per iocum ludũq; humanũ san-
 guinem imo christianũ fundentes præter
 incestus cædes, sacrilegia, stragesq; (o ma-
 lũ) spirẽt nihil infregere, habes inquã ibi
 quod Christus instituit sacramẽtũ poeni-
 tẽtiã pro his qui post baptismũ sunt lapsi
 quo rursus iustificari per eiusdẽ Christi
 merita possint & amissã gratiã recupera-
 re, institutionẽ aut insinuari in illis verbis
 Ioan. 20. Accipite spiritũ sanctũ etc. hincq;
 docendum esse Christiani hominis peni-
 tentiã post lapsum multo aliã à baptismali
 eaq; cõtineri nõ solũ à peccatis cessationẽ
 vitiorũq; detestationẽ aut cor contritũ &
 humiliatũ verumetiã sacramentalẽ ipsorũ
 confessionẽ saltẽ in voto suoq; tẽpore fa-
 ciendã, nimirũ si tẽpore opportuno sacer-
 dotis copia haberi possit ac sacerdotalem
 absolutionem itemq; satisfactionem per
 ieiunia, eleemosynas, orationes & alia pia
 spiritualis vitæ exercia nõ quidẽ pro pœ-
 na æterna quæ vel sacramento vel sacra-
 menti

CATECHIS. POENITENT.

menti voto cum culpa remittitur, sed pro
 poena temporali quæ ut sacrę literæ docēt
 non semper tota (ut fit in baptismo) di-
 mittitur illis qui gratiæ Dei ingrati spiri-
 tum sanctum quo signati sunt in die re-
 demptionis constristarunt & templū Dei
 quod sibi per baptismum cōsecrauit vio-
 larunt, De hac vero poenitentia scriptum
 esse Apoc. 2. Memor esto vnde excideris,
 & age poenitentia & prima opera fac etc.
 & 2. Cor. 7. Quæ secundū Deum tristitia
 est poenitentiam in salutem stabilem ope-
 ratur. Et Mar. 3. Mar. 1. Luc. 3. Poeniten-
 tiam agite etc. Sic in decretis concil. Tri-
 dent. cap. 14. de lapsis & eorum reparatio-
 ne. Et cap. 29. Si quis dixerit (inquit) eum
 qui post baptismum lapsus est non posse
 per Dei gratiam resurgere aut posse qui-
 dem sed sola fide amissam gratiam recu-
 perare sine sacramento poenitentię ut pro
 sancta Roma: & ortho. ecclesia à Christo
 Domino & Apostolis hucusque professā
 est, seruauit & docuit anathema sit. Item
 in canonibus de sacramentis cap. 1. Si quis
 dixerit sacramenta nouę legis non fuisse
 omnia à Christo instituta, aut plura aut
 pauciora esse quam septem scilicet baptis-
 horum

Confir. Eucha. Pœnitent. Extrem. vñctio.
 Ordinem, & Matrimonium, vel aliquod
 horum septem non esse verè propriaque
 sacramentū anathema sit etc. Et ante hæc
 omnia anno 1180. in concilio Lateranensi
 sub Alexandro 3. & Federico primo cō-
 stitutum est in pœnitente vt delicti quali-
 tas & quantitas, & ætas & scientia, sen-
 sus atq; conditio delinquentis inspiciatur,
 conatus non minus atq; effectus puniatur
 & sicut publico publica, ita secreto deli-
 cto secreta adhibeatur pœnitentia, demū
 quod nullus à nō suo iudice possit aut sol-
 ui aut ligari Tit. de pœnitentia. Et in fre-
 quentissimo doctissimoq; illo confessu
 concilij Latera. sub innocent. 3. anno 1215.
 cano. 21. Omnis vtriusq; sexus etc. Et ha-
 betur extra de pœnit. & remis. cap. Om-
 nis etc. Præcipitur vt Christianus quisque
 saltē semel in anno suo proprio sacerdo-
 ti fideliter sua peccata omnia confiteatur
 ihuñctaq; sibi pœnitentiā pro virili studeat
 adimplere, suscipiens quoq; ad minus sub
 pascha Eucharistiæ sacramentum nisi ali-
 ter fortè sacerdoti visum fuerit, alioquin et
 viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur &
 moriens Christiana sepultura careat. Ec-
 e quid

quid porro interest hæc cōmemorare quū
 sub tēpora scholasticorū (quos aiunt) ac-
 ciderint (D. Petrum Lombardum . Bernardum
 Clareuall. Hugonē de S. Victore , Ruper-
 tum Tuic . Sigebertum clunia. Albertum
 magnum, Alexandrum ab ales, Thomam
 aquina, Anselmum Cātua. Bruno. carthus.
 D. Bonauent, Ioan. Scotum, reliquosq; lo-
 quor eius nō infimæ (hercle) classis heroas
 viros, in quibus si recte æstimes vtrū nes-
 cio pietatem ne an eruditionem plus mi-
 rabere quicquid mentiantur amici no-
 stri) qui omnes in sacramentorum albo
 habent poenitentiam quàm abdicandos
 abiurandosque eos iubeant schismatici,
 nobiscum certe haud secus pacisci volen-
 tes quam olim diu Cræsus cum Samijs
 tradito Æsopo cuius potissimum ope atq;
 opera hi ab illius tyrannide defendeban-
 tur, aut lupi cum ouibus traditi, canibus
 in quorum vigili custodia indefessoque
 latratu salus omnis, atque ouium copia
 sitæ erant . Diuus Ambrosius prorsus
 si penitus inspicias illam pedum ablu-
 tionem à Christo Apostolis exhibitam
 non tantum exemplar & humilitatis in-
 signe, sed etiam sacramētum esse affirmat,
 libro

libro tertio de sacrament. capite primo. Idque diligenter & de industria explicatum esse in actibus poenitentiae libro tertio de virginibus. Et copiosè idem facit Cyprian. serm. de ablutione pedum. D. Bernard. item serm. 1. in coena Domini de baptismo & de sacramento altaris, & ablutione pedum August. quoque tractatu 56. etc. in Ioannem. Similiter Cyrillus Chrysof. Theophy. Euthymi, Oecu. & quotquot in hunc locum scripsere. Denique omnium conciliorum, tam generalium, quam provin. cunctarum Ecclesiarum Apostolicarum, omnium doctorum classicorum, vniuersorumque populorum traditione & concordia ab ipsis Apostolis Apostolicisque viris iam usque consensione quibus refragari tam mea opinione impium est, quam aut oracula spernere, & in caelum os ponere, aut apud philosophos primis principijs quae vocant, repugnare. Semper poenitentiae usum sacramentalem fuisse compertissimum est, & ex Christi ordinatione signum quoddam efficax quo post baptismum lapsi erigi queant, & velut per manum à Christo subleuari qui inde desiderèter adest & velut manum admonens operi

c ij operam

CATECHIS. POENITENT.

operam commodat & quidē potissimam
 (nam vicariam recipiamq; requirit in
 ijs qui rationis sunt compotes) hisce mi-
 nisterijs. quæ seruis suis & cooperantibus
 in hoc ipsum seruiantibus exequenda mā-
 cipandaq; effectui credidit vt habet D.
 Leo papa in epistola 91. ad Theodorū epis-
 copum foriuiensem (tu vero mihi vide
 an non huic opportunè congruat propo-
 sito (solicitudini quidem tuæ is esse or-
 do inquit debebat vt cum metropolitano
 tuo primum de eo quod quaerendum vi-
 debatur conferres, ac si id quod ignora-
 bat dilectio tua, ipse quoq; nesciret instrui
 vos pariter posceretis quia in causis quæ
 ad generalem obseruatiā pertinent om-
 nium Domini sacerdotum sine primati-
 bus nihil debet inquiri, sed vt quoquo mo-
 do instruatur ambiguitas cōsulentis, quid
 de poenitentium statu regula ecclesiastica
 habeat non tacebo, Multiplex misericor-
 dia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt
 non solum per baptismi gratiā, sed etiam
 per poenitentię medicinam spes vitæ re-
 cuperetur æternæ, vt qui regenerationis
 donum violassent proprio se iudicio cō-
 demnantes (nempe spontaneam pec-
 cato-

catorum confessionem ingenuè apud sacerdotem ordinarium, eiusmodi reorum iudicem & diuinitus institutum arbitrum factam) ad remissionem criminum peruenirèt sic diuinæ bonitatis præsidij ordinatis vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri mediator enim Dei & hominũ homo Christus Iesus hanc præpositis ecclesię tradidit potestatem vt & confitentibus satisfactionem pœnitentię darent eadẽq; salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent, cui vtiq; operi incessabiliter ipse saluator interuenit nec vnquam abest ab his quæ suis ministris exequenda commisit dicēs, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi etc. Matt. 28. sic ibi Leo papa & habes de pœni. dist. 1. can. Multiplex. Et D. Chrysostomus agens cum suo fido studiorum Achatenorumq; collega & æmulo Basilio non illo non illo magno capadociæ sed Seleuciæ Episcopo de dignitate sacerdotali post illud sacrum diuinumq; mysterium sacerdotibus commissum tum etiam illud quod non est in-

CATECHIS. POENITENT.

ferius(ait) creditum est vt quod in cœlis
 est dispensent ijs datum est vt potestatem
 habeant quam Deus opt. Max. neq; ange-
 lis neque archangelis contulit. neq; enim
 (ait) ad hos dictum est. Quæcunque sol-
 ueritis super terram erunt soluta & in ce-
 lis etc. Habent quidem principes mundi
 vinculi proprietatem, sed corporibus li-
 gandis tantum. Id autem quod dico sacer-
 dotum vinculum (attende mihi obsecro
 muneris Apostolici functionē) ipsam ani-
 mā quoq; cōtingit cœlosq; penetrat, vsq;
 adeo vt quæcunque inferne sacerdotes
 confecerint eadem superne tāquam emi-
 nus suffragatus. rata habeat Deus ac seruo-
 rum suorum sententiam confirmet. Nam
 quid id est nisi omnē cœlestium rerū po-
 testatem illis à Deo concessam? Quorum-
 cunque enim peccata remiseritis remit-
 tuntur, quorumcunque retinueritis reti-
 nentur, Cedo, quæ enim potestas hac vna
 maior esse possit? Pater omnifariam pote-
 statem filio tradidit, & hanc ipsam vi-
 deo omnifariam à filio illis collatam etc.
 (Ipse enim vt sit in stadijs eam velut lā-
 pada cursu tradidit quod inquit) cor-
 poribus lepram purgare imo verius pur-
 gatam

gatam probare, non purgare autē iudeo-
rum sacerdotibus solis licebat olim, neq;
nescis quanta cum ambitione, quanto cum
studio ac concertatione sacerdotalis dig-
nitas id temporis acquireretur at nostris
sacerdotibus nō corporis lepram sed ani-
mæ sordes, non dico purgatas probare,
sed purgare prorsus concessum est, qua-
re iudicio quidem meo qui istos despi-
ciunt contemnuntque multo sceleratio-
res sunt & maiori digni supplicio quam
dathan fuerit cū suis numeri 16. ille enim
quanquam principatum sibi vindicabat
miram tamen de eo principatu opinio-
nem æstimationemq; habebat, id quod
declaravit ingens rei concupitæ studium.
Quum autem iam plurimum sacerdo-
tali dignitati accesserit plura multo ma-
ioraque audent quam illi qui eam sper-
nunt, non enim perinde est appetere ho-
norem indebitum, & tot tantaque bo-
na fastidire, tanto quippe hoc facinus
gravius est quanto magis inter se dissi-
dent fastidium & admiratio. Quis igi-
tur tam infelici ingenio natus sit ut tan-
ta bona fastidiat?

Equidē existere arbitror neminē nisi fu-

e iiij riarum

CATECHIS. POENITENT.

uestro percitus & imbutus quis sit, non enim solum per hos generamur in Christo Christumque induimus, sacramentaque corporis & sanguinis percipimus verum postmodum quoque peccatorum condonandorum ipsi potestatem retinendorumque obtinent, & in nos exerunt etc. Denique tanto plus Chrysof. probat sacerdotibus nouæ legis deferendum quam principibus regibus, monarchis, et imperatoribus quibuscunque quanto magis animi corporibus præstant, hæc enim quoquo modo cogi posse, illos vero semper liberos esse, adeoque parentibus ipsis minus deberi (inquit quam sacerdotibus nam eos quidem corporibus vitam cum gliribus & muscis nobis communem, hos autem potiori hominis parti animæ salutem vitamque comparare etc. Sic Chrysof. lib. 3. de sacerdot. Cyprianus itidem cum multis alijs episcopis africanis collegijs suis scribens ad Cornelium pont. Roma. hac de re quid sentiat aperit li 1. epist. 2. iam pridem (ait) statueramus (vnde patet totius Concilij africani fuisse definitionem atque sententiã) vt qui persecutionis infestatione supplantati fuerant ab aduersario & lapsi fuissent

seleque

seseq; illicitis sacrificijs maculassent diu
 poenitentiam plenam agerent, & si peri-
 culum infirmitatis vrgeret pacem sub ictu
 mortis acciperent (id est ni fallor absolu-
 tionis sacerdotalis gratiam reliquorumq;
 sacramentorum Christianorum commu-
 nionem vti obseruatum est (ne omnes re-
 censeam) in Serapione illo cuius meminit
 Euseb. Cæsar. libro 6. cap. 34. & Nicepho.
 hb. 6. cap. 6. Et hac ex parte vehementem
 semper fuisse D. Cyprian. manifestum est,
 nec enim fas erat aut permittebat paterna
 pietas diuinâq; clementia ecclesiam pul-
 santibus claudi & dolentibus ac deprecâ-
 tibus spei salutaris subsidium denegari, vt
 de seculo recedentes sine communicatio-
 ne aut pace Domini dimitterentur cum
 permiserit ipse qui legem tulit vt ligata in
 terris etiam in coelis ligata essent, solui au-
 tem possent illic quæ hic prius in Ecclesia
 soluerentur. Caterum ingruente iterum
 persecutionis procella cum crebris osten-
 sionibus moueamur (inquit) atq; oraculis
 vt ad certamen sumus præparati censui-
 mus necessitate cogenta eis qui de Eccle-
 sia recessere sed poenitentiam agere & la-
 mentari ac Dominum deprecari à primo
 lapsus

DE CATECHIS. POENITENT.

lapsus sui die non destiterunt pacem dā-
dam esse eosq; ad imminens bellum ar-
mandos animandosq; vt quos hortamur
ad praelium non inermes nudosq; relin-
quamus, sed corporis & sanguinis Christi
protectione muniamus. Et ad hoc cū fiat
Eucharistia vt possit cum accipientibus
esse tutela quos tutos contra aduersarium
esse volumus munimento diuine satura-
tionis armemus etc. Et post nonnulla, Nec
quisquam dicat qui martyrium tulit san-
guine suo baptizatur nec pax illi ab Epis-
coppo necessaria est habituro glorie sue pa-
cem & accepturo maiorem de Domini
dignatione mercedem, siquidem idoneus
esse nō potest certe ad Martyrium qui ab
Ecclesia non armatur ad praelium, & mēs
deficit quam non accepta Eucharistia
erigit & accendit etc. Deinde ita sub-
dit: Ne igitur per duritiam humanæ cru-
delitatis contra diuinæ & paternæ pieta-
tis dulcedinem agamus placuit nobis spi-
ritu, sancto ita suggerente & Domino
per multas visiones manifestas monente
colligere intra castra milites Christi &
examinatis singulorum causis pacem da-
re lapsis, animaduerte tribunal fori Ec-
clesia-

clesiastici) imo pugnaturis arma adm-
nistrare quod credimus vobis quoque pa-
ternæ misericordiæ contemplatione pla-
citurum, quod si quis de collegis pacem
fratribus & sororibus non putet dandam
urgente certamine reddet ille rationem
in die iudicij Domino, vel importunæ
censuræ, vel inhumanae duritiæ suæ, nos
quod fidei & charitati sollicitudini con-
gruebat quæque erant in conscientia no-
stra protulimus.

Ita ferè Cyprianus in libro primo epi-
stola secunda.

P. OE NIT. Ælonas & totum illum
Homericum an Ambrosiam & nectar
meo hæc palato sapiant haud satis scio,
nisi quod mihi penitus accidere existimè
quod de ludis ferunt qui cum primum
vinum bibere coepissent natura alioqui
calidi addito quasi oleo flamme in fu-
riam versi sunt atque phrenesim, ita ego
ex corrente festinanteque hortante im-
pellemteque te factus sum in cursu festi-
nantiore iam mihi profecto quasi per
transennam videre tribunal illud à pris-
cis temporibus forumque iudicium
à Christo in Ecclesia poenitentię Chri-
stianæ

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

stianę dicatum sacratumq; videor quò pē-
nitentium omnium causæ referantur ac
lites inter Deum & hominem peccatorē
dirimantur, componantur, sopiantur, vbi
vti sæpe audiui sacerdos iudex, peccator
reus, actor Moyses, propheta Euangeliū,
& quæcunque siue Dei, siue Ecclesiæ mā-
data, decreta & traditiones, quæ non sunt
neque contra fidem, neque bonos mores
testis meus sibi male conscia, accusatores,
diabolus & angeli eius peccataq; ipsa sen-
tentia arbitrium iudiciumque sacerdotis
misericordia & veritate siue iustitia tem-
peratum seu pro remittendis seu non di-
mittendis peccatis iuxta pœnitentis con-
ditionem & statum causæq; ventilatæ te-
norem atq; qualitatem, iustitiæ executor
atq; carnifex siue tortor vel in iudice vt
censeat quod æqui boniq; est, recteq; cau-
sam æstimet vel in reo peccatore vt hu-
militer obediat seque submittat timor sit
dei exacturi ab illo si nihil pensi modera-
tiq; habeat siue perperam iudicet con-
dēnatura hūc si Dei ordinationi relucte-
tur, reclamat, aut rebellis quomodo quo-
modo existat.

C A T E C H. Cōncio. bene sentis, esto
itaq;

itaq; hic murus Æneus ad quem tanquam
lydium lapidem adeoq; petram illam id
est Christum allidantur quæcunq; ab hac
regula atq; amussi discrepant.

POENIT. Ita faxo superis fauentibus
faciliusq; mihi hanc extorqueri eximiq;ue
vitam patiar quam hunc fidei scipionem.

CTECH. Facis vti probum decet, sed
iam reliqua prosequamur, tu audiendi ego
dicendi neruos intēdero, videbis sane eos
qui pœnitentię sacramentum & inficere
& inficiari contendunt animi magis mor-
bo vitioq; laborare quam probatione ra-
tione nixa id moliri & potius voluptatū
suarum cæno congestisq; paleis insanè de-
lectari (quod de suis affirmat Democri-
tus teste Clemente, Alexand. in oratione
parænetica ad gentes post medium) quam
aut aqua munda aut rosis stratifue mūdis,
neque canponari veritatem, sed refellere,
dicam, an labefactare, an in exilium pro-
trudere, an proscribere, an prostituere, an
tenebris latebrisq; illis democriticis vnde
erui nunquā queat obruere, an simul om-
nia? Quum enim S. Bernardus Petrum &
Paulum qui prius fuerant peccatores &
quidem maximi institutos à Christo hu-
mano

CATECHIS. POENITENT.

mano generi pastores vt magnorum criminum rei magnis criminibus facile veniam darent dixisset vt dulces essent atq; benigni erga peccatores suscipiendos, potentes ad fortiter protegendum, sapientes ad viam salutis monstrandum, inter alia quid (ait) Petro potentius cui mare obediunt cum mortuos reddidit & sub pedibus se calcabile præbuit?

Qui Symonem Magum spiritu oris sui in aëre attigit? qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit vt præcedat sententia Petri sententiam cœli?

Denique quodcumque ligaueris (inquit Christus ad Petrum) super terram erit ligatum & in cœlis etc. Matthæi 16. Vnde est illa exclamatio Diui Hilarij Pictauiensis Episcopi Canone decimo sexto.

O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra quæ infernas leges & tartari portas omniaque mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur cuius terrestre iudicium præiudicat auctoritati cœlesti vt quæ in terris aut ligata sunt

ta sunt, aut soluta statuti eiusdem conditionem obtineant & in coelo etcat.

Et Leo papa sermone secundo in anniuersario die assumptionis suæ ad pontificatum, cum diu multumque pontificium & sacerdotalem in Ecclesia ordinem commendauisset, & velut perpetuum donum (vti verè est) prædicauisset tractans illud Matt. 16.

Tu es Petrus. & super hanc Petram etc. Manet ergo (inquit) dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseuerans suscepta Ecclesie gubernacula non reliquit, sic enim præ cæteris est ordinatus, vt dum petra dicitur, dum fundamentum pronunciat, dum regni coelorum ianitor constituitur, dum ligandorum soluendorumque peccatorum arbitrer mansura etiam in coelis iudiciorum eius defunctione præficatur, qualis ipsi enim cum Christo esset societas per ipsam appellationum eiusmodi mysteria nosceremus qui nunc plenius & potentius ea que sibi commissa sunt peragat, omnesque officiorum suorum partes atque curarum in ipso & cum ipso per quem est glorificatus exequitur, si
quid

CATECHIS. POENITENT.

glorificatus exequitur, siquid itaq; à nobis recte agitur rectèq; discernitur, siquid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur illius est operum ac meritòrū cui⁹ in sede sua uiuit potestas & excellit autoritas etc. Et ser. 3. de toto mundo Petrus eligitur qui & vniuersarū gentium uocationem & Apostolis omnibus cunctisq; Ecclesię patribus præponatur, ut quamuis in populo Dei multi sint sacerdotes vniuersos tamen proprie Petrus regat quos principaliter regit & Christus Magnum & mirabile huic viro consortium potentię suę tribuit diuina dignatio & si quid commune cum eo alijs esse uoluit principibus nunquam nisi per ipsum dedit quicquid alijs non negauit, & post pauca. Transiit quidem (ait) in alios apostolos vis potestatis istius & ad omnes ecclesię principes decreti huius constitutio commeauit deriuataq; est, sed non frustra vni commendatur quod omnibus intimatur, Petro namq; hoc singulariter creditur quia cunctis Ecclesię rectoribus Petri forma præponitur, manet ergo Petri præuilegium vbicunq; ex ipsius fertur æquitate iudicium nec nimia est vel
 leueri-

seueritas vel remissio vbi nihil erit ligatum nihil solutum nisi quod B. Petrus aut soluerit aut ligauerit etc. Illius postremo præcibus & meritis acceptum refert quicquid per sacerdotalem ordinem in Ecclesia agitur D. Chrysof. autem circa illud Matth. 16. Tibi dabo claues, Homil. 55. nõ dicit rogabo patrem vt tibi det (inquit) sed quamuis magna potestas erat & doni magnitudo ineffabilis ego tamen dabo tibi ac si diceret quemadmodum pater tibi dedit vt me cognosceres, ita & ego dabo tibi, quid das quæso? claues regni cælorum, vt quæcunque ligaueris super terrã sint ligata & in cælis etc. Quæ igitur Deus solus concedere potest scilicet peccatorũ remissionem, & vt futura Ecclesia tot tantisq; fluctibus irrupentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, & immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, & ignobilis, terrarum orbe repugnãte, adamantis naturam firmitatis superet, Hęc inquam omnia quæ solius Dei sunt (inquit) pollicetur se daturum etc. Similiter Theoph. Quàm siquidem diuinum sit ligare atq; soluere vnus Euthymius satis locuples testis est qui sol-

f

uere

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

uere peccata aliud nihil esse censet quam ignoscere, ligare vero non ignoscere (id quod perpetuus poenitentialis fieri usus in ecclesia catho. hucusq; religiosissimè obseruatus certum facit) adeoq; poenitentiam forensibus causis comparas D. Greg. Mag. papa Homil. 26. euangel. Libet (ait) intueri illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum gloriae sint perducti culmen, ecce non solum de semetipsis securi sunt verum etiam alienae obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumq; superni iudicij sortiuntur ut vice Dei quibusdam peccata retineant, alijs relaxent, sic, sic eos à Deo decebat erigi qui tantum pro Deo consenserant humiliari, ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt, & alios damnant vel liberant, qui seipso damnatum iri metuebant, horum profectò nunc in Ecclesia locum episcopi tenet qui ligandi atq; soluendi potestatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur, grandis honor sed graue pondus istius est honoris, durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitae suae iudex vitae fiat alienae, & plerumque contingit ut hic iudicij locum teneat,

neat, cui ad locum vita minimè concordat
 ac proinde sæpe agitur vt vel damnet im-
 meritos vel alios ipse ligatus soluat, &
 crebro in soluendis ligandisq; subditis suæ
 voluntatis motus non autem causarū me-
 rita sequitur, vnde fit, vt ipsa hac ligandi
 soluendique potestate sese priuet, qui hęc
 pro suis voluntatibus, pessimis consiliarijs
 non pro subiectorum moribus exercet,
 sæpe fit vt erga quemlibet proximū odio
 vel gratia & amore moueatur pastor, iu-
 dicare autem de subditis dignè nequeunt
 qui in subditorum causis sua vel odia vel
 gratiam sequuntur, hinc recte per prophe-
 tam dicitur Ezechielis .13. Mortifi-
 cabant animas quæ non moriuntur, & vi-
 uificabant animas quæ non viuunt nõ mo-
 rientem enim mortificat qui iustum dam-
 nat, & non victurum viuificare nititur
 qui reum à supplicio conatur eripere.

Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc demū
 ligandi atq; soluendi potestas exercenda,
 videndum est quæ culpa sit quæve poeni-
 tentia sit secuta post culpam (quod præ-
 ter alios quos postea habebimus D. Petrus
 martyr & Archiepis, Alexand. in suis ca-
 nonibus de poenitentia examussim tradit)

CATECHIS. POENITENT.

vt quos omnipotens Deus per compun-
 ctionis gratiam visitat, illos pastoris sen-
 tentia absoluat, tunc namque vera est ab-
 solutio præsidis cum æterni arbitrium se-
 quitur iudicis, id quod bene quatruiduani
 mortui suscitatio illa Ioan. 13. significat,
 quia prius mortuum Dominus vocauit
 & viuificauit, ac deinde à discipulis solui
 iussit, qua ex remonemur per pastoralem
 auctoritatem illos duntaxat præsbyteros
 soluere quos authorem ipsum nouimus
 per suscitantem gratiam viuificasse, quæ
 viuificatio ante operationem rectitudinis
 in ipsa iam (vide mihi quam exploratam
 confessarij eius fori de quo agimus iudicis
 exigat trutinam) cognoscitur confessione
 peccati & criminis, vnde & Lazaro non
 dicitur reuiuiscere, sed veni foras, ois enim
 peccator qui peccatum intra consciētiam
 abscondit latet tanquam sepulchro clausus
 venit autem foras cum nequitas suas spō-
 te confitetur venientem autem foras
 iubentur discipuli id est pastores Ecclesiæ
 soluere vt poenam quam meruit amoueāt
 ab eo qui quod fecit confiteri nō erubuit.
 Hæc de solutionis ordine breuiter dix-
 rim inquit Gregor. vt sub magno mode-
 ramine

ramine pastores ecclesiæ vel soluere studeant vel ligare, sed vtrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est ne is qui subest & cum iniuste forte ligatur ipsam obligationis suę sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat vel ligare (attende mihi iuridicam diuinitusque institutam gubernãdo dominico gregi potestatem) is autem qui sub manu pastoris est ligari timeat (considera mihi reciprocam submissionem) vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat ne & si iniuste ligatus est ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa quę nõ erat fiat, sic ille, hucq; facit Hieronymi illud circa illud Mat. 16. & tibi dabo clauas etc. quod eum ex Orige. Homil. 1. super Mat. mutuatum esse non dubium, vt plura alia qui videtur requirere, nisi penitius inspicatur, in episcopis & præsbyteris vitam ordini respondentem) istum locum, inquit, episcopi & præsbyteri non intelligentes aliquid sibi de pharisæorum supercilio assumunt vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum sed reo-

f iij rum vita

CATECHIS. PŒNITENT.

rum vita quærat (capis ni fallor huius
 de quo sæpe dixi, & sæpe repetendum est
 fori iudicium censuramq; diuinam apud
 quam peccatoribus omnibus dica scribi-
 tur & ad quam fontes omnes citantur quæ
 tota probatio est sacramenti pœnitentiæ)
 sicut enim leprosi, inquit, iubentur se ostē-
 dere sacerdotibus Leuit. 14. & si habuerint
 lepram tunc immundi fiant non quo sacer-
 dotes leprosos & immundos faciant, sed
 quo habeant notitiam leprosi & non le-
 prosi, possintque discernere quis mundus
 quive immundus sit, quomodo ergo ibi
 leprosum facit mundum aut immundum
 sacerdos (nempe quod iuxta causę exi-
 gentiam aut mundum iudicet aut immun-
 dum) sic & hic alligat aut soluit Episco-
 pus vel p̄sbyter non eos qui insontes
 sunt vel noxi (ne putes comparisonem
 esse inter facere mundum vel immundum
 atq; soluere vel ligare, sed inter modum
 hæc faciendi & illa) sed pro officio suo
 cum peccatorum audierit varietates scit
 qui ligandus sit, quive soluendus, & demū
 aut liget aut soluat nimirum, nam expli-
 cans se super Mat. 18. circa illud. Quæcūq;
 alligaueritis super terram etc. potestatem
 tribuit

tribuit (inquit) Apostolis vt sciant qui à talibus condemnantur humanā sententiā diuina roborari & quodcunque ligatum fuerit ab illis in terra ligari pariter & in cœlo, Et Euthym. super illud Matthæi decimo sexto de Petri censoria dignitate, Promittit ergo (inquit) quodcunque peccatum non condonauerit Petrus super terram neque in cœlo à Deo condonatum iri, & quodcunque condonauerit hic ille, ibi quoque fore condonatum, eodemq; referens illud Matt. 18 Quaecunq; ligaueritis in terra etc. Quicquid vos in terra (ait) censueritis aut sententia decreueritis hoc Deus in cœlo ratum, habebit, siue eos qui sunt incurabiles ab Ecclesia amputaueritis, siue resipiscentes receperitis in gratiam, hæc autem comminatus est, non vt ita fiant, sed vt quisque territus & Ecclesiæ amputationem metuat, & Dei sententiam mutet eamque euadat, ob id namque & primum, & secundum, & tertium tribunal constituit, vt qui primum non veretur, vel secundum metuat, aut si ita frontem perfricuit vt neque id curet religio sit vel ad tertium vocari, quod si forte sper-

f iiii nat tan-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

nat tanquam ethnicus & publicanus denuncietur iudicatus. Eodem prorsus modo D. Ioannes Chrysoft. Homil. 61. in mat. & D. Petrus Chryfologus ser. 84. tractans illud Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata etc. Dedit inquit potestatem remittendi peccata qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum, & largitus est remissorem & videtur id bis legisse quod nostra lectio tantum semel habet. Nam subdit hæc cum dixisset insufflauit eis dicens, accipite spiritum sanctum quorum remiseritis etc. ac velut manum cum his nostris conferens, vbi ergo sunt, inquit, qui per hominem hominibus peccata dimitti non posse præscribunt, qui semel diabolica impulsione collapsos opprimunt ne se erigant? qui languoribus & curam vulneribus subtrahunt (quæ ipsorum est immanitas) negantque medelam? qui peccatoribus remittendi & redeundi desperatione impia resultant, remittit Petrus peccata & toto cum gaudio suscipit poenitentes atq; omnibus sacerdotibus hanc à Deo concessam amplectitur potestatem qui post negationem nisi poenitentiam arripuisset Apostolatus gloriam pariter & vitam

vitam perdidisset. Si vero Petrus per poenitentiam redijt, quis sine poenitentia persistit? Equidem Euthym. exponens illud Ioannis 20. Accipite spiritum sanctum etc. non nunc sed cum descenderet aut certe spiritum sanctum intelligit, ait, gratiam spirituale remittendi retinendiq; peccata quod spiritu & gratia seu virtute miraculorum longe maius est ut patet ex illo scandalo Pharisæorum Mat. 9. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus, dicit nempe ante passionem hanc potestatem promissam tantum Apostolis scilicet Matth. 16. & 18. postea autem collatam atq; exhibitam, multumq; vrgens & quidem non iniuria id quod ibidem habetur illud sicut me misit pater & ego mitto vos D. Chrysof. Nullum, ait, iam habetis impedimentum, cum ob ea quæ per me hæcenus facta sunt, tum propter meam vos mittentis auctoritatem et dignitatem. Quare enim, inquit, hoc dicit? eorum animos erigit, suamque proponit præstantiam, siquidem suum erat eis relicturus ministerium sibi à patre commendatum, & cum nondum rogasset patrem sua eis auctoritate potestatem præbet, Insufflauit enim & dixit accipite spiritum sanctum

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata remittuntur eis etc. Quemadmodum Rex praefectos mittens ut in carcerem reos intrudant, ut liberent potestatem confert, ita Dominus Iesus discipulos ad omnes mundi plagas destinans convertendis peccatoribus hac munit dimittendorum retinendorumque potestate & autoritate. Et quemadmodum Euthym. quoque aestimat non esse adulterarium sensum dicit si intelligantur tunc dispositi & praeparati ad suscipiendum spiritum sanctum neque tunc accepisse nisi gratiam & dotem quandam spiritualem non miraculis edendis ut in Pentecoste sed abolendis, dimittendisque peccatis ita Chrysostomus Homilia 55. in Ioannem. Similiter itidem Theophyl. Sicut namq; pater mittens filium in mundum non ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per ipsum omne iudicium tamen dedit filio, ita filius mittens suos discipulis omne iudicium a patre acceptum & eatenus administratum illis designavit, & tribuit forum quoque & tribunal quod pater reis peccatoribus aut damnandis aut absoluendis Christo iudice statuit ipsissimum

fiffimum hoc Christus constituit fe au-
 thore perpetuoque præfide facerdotio
 adoptiuo & ordini Apostolico delegan-
 dum plenaria illi functione & admini-
 ftratione concessa ficuti eam à patre ac-
 ceperat, hoc iudicium fibi vindicauit à
 Chrifto inquam Apostolis ac difcipulis,
 deinde Apostolicis uiris traditum atque
 ita per fibi fuccedentes mutuo in Ecclefia
 Catholic. Epifcopos & præfbyteros ad
 fe fe deriuatum Diuus Fabianus Ponti-
 fex Romanorum deinde Lucius, Item
 Cornelius, atque ita alij alijque aduerfus
 Nouatianos qui femel tantum forum iftud
 compellandum fide appelladum cenfebāt,
 vnamq; duntaxat poenitentia actionem
 agnofcendā videlicet baptifmalem fide eā
 que baptifmo nos initiat qua in re illud
 obiter notatu dignū est hac in parte nobis
 & religiofiffimis illis eandē effe caufam &
 litē aduerfus Calviniftas que illis fuit ad-
 uerfus nouatianos, & ei tribunali ftatuēdo
 porro plurima elucubrauit in africa. D. Cy-
 prianus cū fuis epifcopis africanis. Idē fecit
 D. Cornelius cum fuis in Italia. Similiter
 Dionyfius Alexand. cum fuis in afia, & in-
 numeri alij per orbē vniuerfum hoc foro-
 v fus

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

vsus est cōtra Theodo. August. seniore
 rerum potientem B. Ambrosius episco-
 pus Mediolanensis, contra Thedo. Augu-
 iuniorem, quidam pręsbyter vulgaris, huc
 citatus fuit primus Christiani nominis
 imperator Philippus, eius iudicij discrimē
 atque sententiam subiit nobilis quędā
 matrona romana Fabiola aliq; quos enu-
 merare lōgū est, quotquot post baptis-
 mū lapsi in Eccl. cath. penes quā est remissio
 peccatorū, vt est in symbolo fidei christia-
 nę, ex impijs iusti facti sunt ferē & regu-
 lariter, eoq; proculdubio spectat illud D.
 Gregor. Nazian. Ecclesiasticę libertatis
 assertoris disertissimi, & ob id multo
 maximē meritō cognomento dicti theo-
 logici mea ouis es (imperatorē dicit) nos
 habemus tribunalia etc. & eius morum
 studiorum voluntatum (quę vera est ami-
 citia (si Lælio ciceroniano credimus) co-
 mes Basilius cognomento magnus (nam
 vter alteri dux fuerit haud temerē asserue-
 rim) in summis moralium sum. prima. ca.
 2. æque atque Christum Mat. 9. etiā Apo-
 stolos Matt. 18. habere potestatem remit-
 tendi peccata affirmat.

P O E N I T. Velim scire verum ne sit
 an non

an non quod Christomastigæ obijciiebāt,
quis potest dimittere peccata nisi solus
Deus? Luc. 5.

CATECH. Scribis sane & pharisæis
cæterisq; Christi æmulis ea mens erat atq;
sententia quamuis vt habet Ambrosius
super Luc. 5. & post eum V. Beda per eos
quoq; dimittat quibus dimittendi dedit
facultatem fecitq; suæ authoritatis & po-
testatis copiam adhibito poenitentiaæ sa-
cramenti pharmaco licet in vltimo vitæ
spiritu, vt est apud August. lib. de Eccles.
dogma. cap. 80. & in symbolo ad catechu-
menos circa illud remissionem peccato-
rum & alibi, Ambro. verò agens aduer-
sus Nouatianos nihil quam ligantes nun-
quam autem soluentes peccatores à bap-
tismo lapsos (quæ ipsorum erat religio)
primo eos ita refutat quòd forum hoc
itaq; iudicium in Ecclesia velut magna
quadam Repub. à Christo institutum non
est tale quale istud seculare sine Forense ac
temporale vbi summum ius summa sæ-
pe malitia atq; iniuria est, vbi qui rei agū-
tur poenas luunt penduntq; mulctam vel
pecuniæ vel capitis vel corporis & inson-
tes quidem premia & honores, fontes, au-
tem

C A T E C H I S I P O E N I T E N T.

rem manet supplicia vbi deniq; sententia fertur non tantum contra iniquitatem & scelus & crimen verumetiam contra ipsos nequam homines, ad illos perdendos.

Ceterum hoc iudicium quo de agimus ne ipsos quidem quos damnat offendit & si quos forte damnauerit dignos facit absolute nedum lædat aut perdat semel, quod sit clemens, benignum misericors, vitiorum emendationem virtutumque frugem, non peccatorum morte sed tolerantia, ac patientia promouens inuitans omnes non vt grauet aut liget, puniatue (si modo cultura patientem accommodent aures) sed vt reos absoluat absolutos communioni mysteriorum celestium restituat, ita quippe Ecclesiam propagatam & à teneris vnguiculis (quod inquit) educatam, ita Christum ad se pellexisse peccatores neque facile aliter quemque à peccatis reduci posse nisi medicus cui sese credidit compatiens infirmitati non fastidiat neque contemnat, non excludat, non abiciat ægrum, sed humanè excipiat, ediuerso nihil durius quam indicere pœnitentiam nunquam relaxandam remittendæue, quâ veniam negando

gando incentiuū pœnitentiam, neminem
siquidem potest bene agere pœnitentiam
nisi qui sperauit indulgentiã. Deinde hoc
vritur argumento quod Christus donauit
& donanda permiserit peccata oĩa, nul-
lū vero exceperit sic li. 1. de pœnit. ca. 1. di-
cunt vero inquit (tu vero mihi considera
an non similem hac tempestate tueamur
causam) se domino deferre honorem &
reuerentiam cui soli remittendorum cri-
minum potestatem reseruatam volunt,
cum potius nulli maiorem iniuriam irro-
gent qui eius mandata rescindere com-
missumque munus (O officii perdi indig-
nos) rescindere conantur, nam cum ipse
in Euangelio Ioannis 20. dixerit accipite
spiritum sanctum quorū remiseritis pec-
cata etc. Vter est qui magis eum honorat?
vtrum qui mandatis obtemperat an qui
resistit? Ecclesia enim in vtroque seruat
obedientiam vt peccatū & alliget & re-
laxet, hæresis autē in altero immitis in alte-
ro inobediens & rebellis, vult ligare quod
nō soluat, nō vult soluere quod ligauit, in
quo se sua dānat sententia, Dominus nāque
par ius & soluēdi esse volunt & ligādi qui
vtrumq; pari cōditione permisit, qui ergo
soluen-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

soluendi ius non habet nec ligandi quidem habet, sicut enim secundum dominicam sententiam qui ligandi ius habet & soluendi habet ita istorum assertio seipsam strangulat vt quia soluendi sibi ius negat ligandi quoque negare debent, aut quomodo igitur tandem alterum licere alterum non putant? si quibusdam datum est vtrunq; licere aut vtrunq; non licere Ecclesiae certe vtrunque licere, haeresi vero vtrunq; non licere certum est, ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus (ô vtinã furdus non canatur fabula) recte q; proinde id sibi Ecclesia vindicat quae veros sacerdotes habet, haeresis vindicare non potest quae sacerdotes veros non habet, non vindicando autem ipsa de se pronunciat quod cum sacerdotes non habeat ius sibi vindicare non possit sacerdotale, atq; ita in impudenti contumacia pudentem cernere est confessionem, specta etiam illud quod qui spiritum sanctum accipit & soluendi potestatem accipit & ligandi, sic enim scriptum est, accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata etc. ergo qui soluere non potest peccatum spiritum sanctum non habet, munus quippe spiritus sancti

sancti est officium sacerdotis (faciunt nã
 intelligendo vt nihil intelligant igitur qui
 spiritum sanctum id est gratiam gratum
 facientem in sacerdote absoluturo requi-
 runt) ius autem spiritus sancti est solu-
 dis ligandisq; peccatis, quomodo ergo
 munus illius sibi arrogant de cuius diffi-
 dunt iure ac potestate? Quid quod inso-
 lentiores sunt? Nam cum ad misericor-
 diam promptior quam ad seueritatem sit
 spiritus Dei, quod ille se velle ait, id no-
 lunt isti, quod nolle (id quod muliercu-
 larum ingenium est, quæ si nolis volunt,
 si velis nolunt comico teste) hoc volunt
 aguntq; cum vindicare iudicis sit remit-
 tere misericordis, Tolerabilius ergo No-
 uatianæ (adde si libet Luthere, Caluine
 quoq;) remitteres quã ligares, aliud enim
 quasi delinquendi parcus vsurpares, aliud
 quasi ærumnæ & mortalium miserię com-
 passus ignosceres, sed aiunt se exceptis
 grauioribus criminibus relaxare veniam
 leuioribus, non hoc author erroris vestri
 (nam vt est apud philosophum vno
 inconuenienti posito sequuntur multa)
 Nouatianus qui nemini pœnitentiam dā-
 dam putauit ea scilicet contemplatione
 201 g vt quod

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

vt quod ipse non posset soluere non ligaret, ne ligando sperari à se faceret absolutionem, in eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia (Heu quam multos eiusmodi filios deplorare est hodie) qui distinctionem peccatorum facitis quæ soluenda à vobis putetis & quæ sine remedio esse arbitremini sed Deus distinctionem non facit qui suam misericordiã promisit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit, modo qui culpam exaggerauit, exaggeret etiam poenitentiam, maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus, & ita nec Nouatianus probatur qui veniam interclusit omnibus, nec vos eiusdem imitatores & condemnatores quæ ibi minuitis studia poenitentię, vbi aucta oportuit, quia grauiora peccata maioribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia. Quæ est autem ista peruersitas vt vobis vindicetis possibilia concessu Deo, vt ipsi inquitis, impossibilia reseruetis? hoc est sibi eligere causas, & certe hæresis ab electione dicitur, ignoscendi autem Deo materiam relinquere feriendi etc. Deinde docet Ambro, non debere nos esse immi-
tes &

hosp. v.

res & immisericordes, cum & pater & filius tam misericordes sint, ille filium peccatoribus dando, hic sese illis impartiendo cap. 2. & prosequitur cap. 3. 4. & sequentibus, & hoc improbe inquit quod etiam in Ecclesia donari peccata posse negant cum Petro dictum sit Matt. 16. Tibi dabo claves etc. Et ipse vas electionis dicat 2. cor. 2. Si cui quod donastis & ego, nam & ego quod donavi propter vos in persona Christi. Cur igitur Baulum legunt si eum tam impie arbitrantur errauisse ut ius sibi vendicaret Domini sui: verum vendicauit acceptum non usurpauit indebitum ita ab exemplis ca. 6. Itē Dominus vult plurimum posse discipulos suos, vult à seruis suis fieri in nomine suo ea quæ faciebat ipse in terris positus, deniq; ait, Et maior ira his facietis, & cum ipse Saulo posset reddere visum, misit ad suum discipulū Ananiam Præterea dedit etiam discipulis ut essent Lux mundi, qui erat ipse lux mundi. Dedit Petro super aquas ambulare, Ioanni baptizare. Eliæ in cœlum ascendere: Omnia postremo dedit discipulis de quibus Marc. 16. In nomine meo etc. In quibus sane non hominis potestas sed diuini mu-

CATECHIS. POENITENT.

neris gratia viget. Quid ergo vos manus imponitis & benedictionis opus creditis si quis forte conualeſcat æger? cur præſumitis baptizare? cur præſumitis poſſe mūdari quempiam à colluione diaboli per vos, ſi per hominem peccata non dimitti licet? In baptiſmo enim omnium peccatorum eſt remiſſio, quid inter eſt vtrum per poenitentiam an per baptiſmum ſeu regenerationis lauacrum hoc ius ſibi datum ſacerdotes vindicent? vnum enim in vtroq; myſterium eſt. At dices in lauacro operatur myſteriorum gratia, quid porro obſecro in poenitentia? Nonne Dei nomē operatur? quid ergo? Vbi vultis vindicatis vobis Dei gratiam vbi non vultis repudiatis? etc. Taxat illos vt ſæpe alias notatq; arrogantia, quod catharos id eſt mundos ſeſe iactitent venditentq; cap. 7. dehinc refellit ſcripturas quas Nouatiani pro pallio fucoq; erroris ſui vt fit aſſerebant c. 8. 9. 10. etc. adhibetq; alias quibus ſuū dogma de poenitentibus ſuſcipiendis ſtatuat. Cum ergo amplius Paulus, ait, peccatum remiſerit qua id vos autoritate dimittendum negatis? Quis reuerentior Chriſti aut obſeruantior Nouatianus an Paulus?

Sed

Sed mādavit Christus prædicari in nomine suo poenitentiã, non estis ergo spiritus eius qui eũ excluditis & frustra sane dicitis vos prædicari poenitentiã qui tollitis fructũ poenitentiæ (vbi mihi operũ & meritorũ animaduerte iustitiã) homines enim ad aliquid incitatur aut fructibus, aut premijs, omne aut studiũ torpescit dilatione, volo veniã reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus totiusq; populi suffragijs & fletibus petat, & si quidẽ secũdo & tertio fuerit dilata eius cõmunio (vide huius fori iurisdictionẽ, attẽde reorũ supplicem demissionẽ deditiõnẽq;) credat se remissius supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea reuertatur etc. haectenus Amb. lib. 1. de poenit. cap. 16. Lib. autem 2. cap. 2. iterũ exponit illud He. 6. Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati etc. non de poenitentia, sed baptismo non iterando accipiendum. Deinde esto, inquit, intelligatur de poenitentia (vnde proclive est videre Ambro. sicut & August. & alios plures distinxisse poenitentiaẽ actiones) quæ homini sunt impossibilia, possibilia sunt apud Deum potensq; est Deus quando vult donare nobis peccata etiam ea

g iij quæ

CATECHIS. POENITENT.

que putamus non posse concedi, ideoque quod nobis impossibile apparet impetratu Deo possibile est donare, nam & impossibile videbatur vt peccatum aqua ablueret, & Naaman syrus mudari se posse per aquam non credidit, sed quod impossibile erat, fecit Deus possibile qui tantam nobis gratiam contulit. Similiter impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti, concessit hoc Christus Apostolis suis & ab Apostolis ad sacerdotum officia id muneris transmissum est, factum est ergo possibile quod impossibile videbatur, quamquam interim de baptismo dictum esse illud ne quis eum irritaret vera ratio persuadet, sic ibi Ambrosius. Similiter post eum vtrum ante nescio D. Epiphan. tomo. 1. libro. 2. hære. 59. Et Chryso. Hom. 9. in epist. Heb. 6. Itē Hiero. Theoph. Oecume, Primas. V. Be. Haymo, Hugo de S. Vict. in quæst. epistol. ad heb. quæst. 61. etc. Et August. eundem locum tractans lib. de fide & operibus ca. 11 & fuse libro de vera & falsa poenitentia cap. 3. Deinceps vero Ambro. sequentibus cap. docet cum rationibus tum scripturis, demum traditione Christi & Apostolorum

rum

rum poenitentiam esse certissimum sacramentum confutans cursim alias rationes & scripturas passim à Nouatianis allegari solitas, monetq; varijs modis & penè dixerim omnibus causarum & demonstrationum rhetoricarum & oratoriarū quas vel apud M. Tullium Cicer. vel Quintilia. vel Demosthe, & alios seu græcos seu latinos miramur generibus ad capeffendū velutq; sacram ancoram amplectendam poenitentiam cui tantam gratiam promittit qui mentiri non potest Christus adhibito hoc Apostolico & sacerdotali ministerio, sunt enim Ecclesię præsbyteri ut diximus, mysteriorum diuinorum dispensatores atque oeconomi quorum potissimum partium est ut fideles inueniantur. Idq; est prorsus quod Epiphanius dicit promissiones Dauidi factas à Deo iuxta scripturæ dictamen nempe quod de semine eiua sederet super sedem regiam, & thronum dauidicum impletas esse per sacerdotium quod in sancta Ecclesia floret rerumq; potitur, quam dignitatem regiā iuxta ac Pontificiam Dominus Ecclesię suę est largitus translato quidem throno Dauid, sacerdotio autem Melchisedec. etc.

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

lib.1.to.2.hære.29. contra Nazaræos hoc ipsum namq; sacerdotium cui Christus initiatus est secundum ordinem Melchisedec de quo abunde Paulus ad Heb. nunc in Ecclesia à Christo propagata hucusque viget, inquit, etc. lib.2. To.1. hære.55. aduersus Melchisedecianos. Et idem profecto prolixè docet S. Pacianus in epistola prima ad Sympro. Nouatianum omnium sacramentorum quorum non minima pars est poenitentia administratione ita prorsus esse relictam, & quasi hæreditario iure Ecclesiæ Christianæ delegatam, quemadmodum à Christo eadem functio & obita est posterisque tradita. Vnde D. Hesychius, non possumus, inquit, nobisipsis peccata dimittere, sed Christus propitiationem perficit, vnde & sacerdotes eius in Ecclesia officium Christi exequentes ordinati sunt quibus in persona Apostolorum dictum est Ioan.20. quorum remisistis peccata, & Matth. 16. & 18. sic ille super Leuit. lib. 1. D. Max. Tau. Episcopus quoq; in sermone 1, in festo Pet. & Paul. exponens illud Matth. 16. Tibi dabo clauis etc. haud alio refert quam ad hanc à Christo institutam sacramentalem absolutionem peccato-

cato-

catorum, non putemus, inquit, clauēs Petri esse cuiusmodi nostræ sunt, clauēs enim cœli Petro creditæ lingua sunt Petri, & ne putes linguam esse annunciatiōnem euangeliij pacis subdit quia singulorum merita censendo (quod iudiciariæ est potestatis tributivæq; vt sic dicam auctoritatis) Apostolus cuiq; regnum cœlorum aut aperit aut claudit, nō enim clauis ista mortalis est manu artificis fabricata sed potestas iudicandi à Christo data quam quidem potestatem etiam omnibus alijs collatam asserit Ioannis 20. August. vero postquam multa de exomologesi sacerdoti faciēda memorasset per hoc quod lazarus suscitatum Dominus obtulit discipulis soluendum, ostendi ait potestatem soluendi concessam sacerdotibus iuxta illud quodcunque solueris super terram soluetur, & in cœlis, hoc est, ait, ego Deus & omnes ordines militiæ cœlestis & omnes mecum sancti in mea gloria laudant vobiscum & confirmant quos ligatis & soluitis, nō dixit quos putatis ligare & soluere (tantū abest vt quos ligatos aut solutos denūciatis dixerit) sed in quos exercetis opus iustitiæ aut misericordiæ,

alia

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

alia autem opera vestra in peccatores non agnosco etc. lib. de vera & falsa poenit. ca. 10. & habes dist. 1. de poenit. ca. quem poenitet. Ordinavit siquidem Christus si Cyrillo indicij aliquid & sensus est tribuendum circa illud, Sicut me misit pater etc. Ioannis 20. ordinavitque ministros diuinorum mysteriorum ne quis non vocatus sese ingeret & honorem appeteret assumeretque; indebitum (quod utinam tam bene obseruaretur quam à D. Paulo cautum vetitumque; est Heb. 5. ostenditque hic & apostolatus dignitatem, inquit, & potestatis magnitudinem, vnde ut huic muneri tamque ingenti sarcinae sufficerent cum hæc dixisset insufflauit & dixit, accipite spiritum sanctum etc. sicque in alios viros mutati sunt, quemadmodum olim Saul 1. Reg. 9. per ministerium & oeconomiam Samuelis, ita ille, neque enim dependet hæc dispensatio à ministris quibus credita est, ut per bonos melior efficaciorque, per malos minus bona minusque sit efficax, sed à Deo & Christo eius authore atque sacramentorum omnium præside. hinc circa illud 2. Cor. 2. Etenim ego si quid donavi cui donavi propter vos in persona Christi ne sese

ne sese Dominium & auctoritatem ac ius
 velut natura vel meritis comparatum ha-
 bere arbitrentur, aliumque suæ dignitatis
 non agnoscant aut consortem & compo-
 tem aut præsidem hac in re locum princi-
 pem tenentem, se quoque eiusdem po-
 testatis vindicem assertoremque perhibet
 etiamque; se non sua sed in persona id est au-
 thoritate commissioque; mandato Christi di-
 mittere cuius personam tanquam legatus
 præ se fert adeo ut factum Apostoli et
 functio Christi censeatur si recte æsti-
 memus operatio et absolutio Pauli abso-
 lutio Dei, inquit Ambro. Hieronym.
 Chrysostom, Theophyl. Oecum, Primas.
 Idque; planè est quod D. August. dicit in
 verbis illis. Sicut me misit pater et ego
 mitto vos, mediatorem Christum agnosci
 mediumque; ipsum se ostendere dicendo, il-
 le me et ego vos tract. 121. in Ioannem. Ni-
 mirum ut sicut potestatem dimittendi
 hominibus peccata accepit filius à patre
 missus, ita Apostoli eorumque cathedras
 tenentes siue præbyteri siue Episcopi ab
 ipso Christo missi et per consequens ean-
 de potestatem habere existimentur et sicut
 per filium pater ita et per Apostolos eorumque;
 successo-

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

successores filius mundum seruare, & quemadmodum in Christo Deus erat enim in Christo Deus sibi mundum reconcilians, ita in Apostolis Christus mundum sibi reconciliare adeo patri credatur. Et postremo quemadmodum in filio pater semper facit opera perpetuo illi & indiuisibiliter praesto existens operamq; comodans, ita in episcopis & sacerdotibus semper operari Christus in ijs qua administranda hominum saluti ipsorum fidei credidit, omnino putetur, hoc fine (siquid ego iudico profecto) vt omnes honorificent patrem. Hinc post Chrysostr. & D. Theophyl. explicans illud saepe dictum saepeque repetendum (est enim basis & fundamentum rei qua de controuertitur) sicut me misit pater etc. Hoc est meum, inquit. opus suscipite & confidite me nunquam vobis defore, nec dixit obsecrabo patrem & mittet vos, sed ex autoritate qua polleo mitto vos etc. Vide ergo potestatem dignitatemq; sacerdotum, quod diuina sit, inquit, cum Dei sit peccata remittere. Sunt igitur sic honorandi vt deus quauis enim indigni sint nihil efficit quum diuinorum donorum ipsi ministri sint & gratia per

etia per eos operetur nonnūquā sicut per
 asinam balaam locutus est Deus non enim
 indignitas nostra gratiā prohibet ac pro-
 inde honorandi sunt sacerdotes vel quia
 per eos gratia dei administratur. Et bene
 equidem Epipha. Nouatianos aliosq; hæ-
 reticos hinc inde scripturas suo instituto
 aptantes non se scripturis subdentes, sed
 sibi eas seruire inuitas palamq; reclaman-
 tes cogentes inartificiofis comparat in-
 doctisq; sartoribus & sutoribus, qui cum
 nesciant quorumque rerum vsum & cu-
 iusq; membri amictum calceamenta capi-
 ti, coronam autem pedibus torquem vero
 ventri, odonia seu bracas (quas dicunt) ma-
 nibus annulos pedum digitis, atq; ita alijs
 alia diuersa omnibus aptare student, nam
 quæ in sacerdotio cauta sunt de secundis
 nuptijs atq; alijs, isti ea ad omnem populū
 transtulerunt (damnabant quippe Noui-
 tiani, & Moyses, & Donatiani quidam in
 vniuersum secundas nuptias) & quæ ob
 excellentem rigiditatem à Deo prædicata
 sunt (scilicet de poenitentia non iteranda)
 ne per socordiam aliqui in vitia inhumana
 incidant vulgo in totum attribuere, &
 post pauca, Et ô ingentem hominum va-
 nitatem

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

nitatem, inquit, omnis occasio quantum-
 uis modica singulas hæreses à varietate di-
 straxit, & ad multa mala perduxit, quem-
 admodum enim si quis transitum reperiat
 per sepem fractam circa viam publicam
 hacq; sibi pergendum putet relictaq; pub-
 lica via hãc eligat ratus se compendiosam
 viam tenere quæ perducatur factò reflexu
 iterum ad viam publicam, ignoret au-
 tem quod statim murus obuius eminent-
 tissimusque prohibeat late patens per-
 currat & nusquam exitum reperiat &
 de inuio per inuia ducatur, nullaq; pror-
 sus egredi queat nisi vnde ingressus est
 exeat, sic omnis hæresis (vtinam saperent
 & intelligerent qui plusquam oportet
 sapiunt) velut methodum quandam si-
 bi statuens à recta via deflectit, atque ita
 occurrit obuiamque fit muro Æneo &
 impenetrabili ignorantia (inquam) in-
 star Labyrinthi inexplicabili quæ de er-
 rore errorem ferit, neque aliter potest
 sibi vnquam consulere vt euadat, quam si
 repetat requiratque viam primam tritam,
 atque regiam illam quemadmodum filij
 Israel trãsituri per terram Edom quæ erat
 Esau via publica non quæ ad dexteram
 vel si-

vel sinistram erat gradiebantur. Est enim via regia sancta Dei ecclesia, & iter publicum aureę veritatis, quęcunq; vero hęresis hac regia relicta via siue ad dexteram siue ad sinistram declinat pedetentim adeo, tandem distrahitur ab errore in errorem, vt postremò erroris siue impudentia siue crassa ignorantia, & sibi & ceteris sectis omnibus cum quibus cœperat non satis respondeat etc. Ita ferè Epiphanius libro secundo tomo secundo hęre. 59. contra Nouatianum. Est itaque (vt orationem concludam) pœnitentia quam contritionem, cōfessionem & satisfactionem complecti diximus moxq; cum scripturis tum conciliorum gener. & provincial. decretis, et classicorum doctorum sententijs, perpetuaq; Ecclesię catho. praxi & consuetudine atque exemplis ab ipsis Apostolorum temporibus petitis probabimus) sacramentum à Christo quidem institutum, Apostolis tanquam preconibus promaclamatum denunciatumq;, & omnium Ecclesiarum ortho. memorię mandatum hucusq; tenacissime est enim sacra rei id est gratię & remissionis peccatorũ certissimũ & efficacissimũ signum & tan-

VI CATECHIS. POENITENT.

& tanto quidem certius efficaciusq; quāto
 atq; certior efficacior qui instituit suisq;
 semper & verbis & promissis stetit, quū
 namq; in omni sacramento duo requiran-
 tur verbum & elementum (vt omittam
 quæstionem quorundam rationem sacra-
 menti in contritione esse, aliorumq; in cō-
 fessione, aut certe huic reciproca propriè
 absolutione asserentium sitam) contritio
 confessio, & satisfactio vicem locumq;
 habent elementi siue materiæ circa quam
 quod aiunt, clauium vero vsus seu pote-
 statis à Christo concessæ executio abso-
 lutionisq; verba videlicet, Ego te ab-
 soluo etc, formæ atq; verbi instar sunt,
 adeo vt non nisi accedente hoc verbo ad
 illud elementum fiat sacramentum & illa
 quidem sit velut elementa mortua, & tā-
 quam lixa occidens, quæ diuinis ora-
 culis cauta sunt sine hoc spiritu & verbo
 viuificante, quanquam nemo ierit inficias
 qui meo iudicio recte aestimauerit, neq;
 Dei potentiam ad saluandum hominem
 remittendumq; peccata sacramentis esse
 alligandam, neq; ita rigidum Deum, quin
 sola contritio interdum circa confessio-
 nem, aut hæc duo absque satisfactione illa
 quam

quam nuncupant canonicam, aut hæc ipsam tria sine absolute sacramento ad salutem sufficere valeant, præsertim si id sit in voto quod non est in potestate, & reliqua quæ ad plenam poenitentiae sacramenti rationem attinent, non religionis contemptu aut negligentia nimis crassa omittantur, aut postremo non propria sed aliena culpa impedimento sit, sed aut necessitati articulus; aut malitia quæ nulli nisi auctori, non ei qui eam fert imputanda est.

POENIT. Oppido tua istac oratione oblector vt neq; strepere neq; my. quidem facere neq; plaudere quod equidem cupiã vtroq; pollice ambabusq; manibus, ne te interpellem, ausim, iamq; abunde & suasum & persuasum me confiteor sacramento poenitentiae primo rationem positam esse in partibus illis poenitentiae adhibita clauium administratione, deinde clauium potestatisq; absoluendi vsum siue executionem & praxim quam vocant nõ esse euangelij prædicationem, & postremo huius sacramenti ministros non esse nisi sacerdotes secundum ecclesiae cathol. ritum consecratos.

CATECH. Istud sane ad ordinis sacramē-

h

cramē-

CATECHIS. PŒNITENT.

cramentum spectat & aduersus Paulicianos, Massalianos, Bogomilos ceterosque Manichæi de grege porcos plurima contra ordinis sacramentum aliaque christianis castisq; indigna auribus comminiscetes scripsit prolixè Euthy. Zizabonus panopl. part. 2. tit. 21. 22. 23. & Epipha. lib. 10. 2. 10. 2. hare. 80. neq; huius est instituti ea prosequi, neq; illa omnia reliqua quæ ad sacerdotale ministerium circa mysticum Christi corpus quod est Ecclesia exercendum pertinent cum ex prædictis factis superq; liqueat antiquitatis sacrosanctæ hac de re quam querimus mens atq; sententia, illa autem vt ex virtute ac dignitate tractentur & locum alium & tempus prolixius & operam maiorem requirunt ac postulant. Ceterum vbi absolutionem & clauis nihil quam Euangelij denunciationem inquirunt Calvinus in instit. Melancth. in locis communibus. Andreas Modrenius lib. 4. de eccle. cap. 9. Luth. art. 10. etc. omnisq; apud schismaticos consuetudo palam testatur, neq; Crassum illum Agelastum quem semel tantum in vita risisse ait Lucius vt habet M. Tull. libro. 3. tuscul. quæst. & lib. 5. de finibus bon. & mai.

crisostomus

id

mai.

mal: Et Augu. lib. quæst. ex utroq; mistim
 quæst. 115. & Hiero. in Apolo. contra Ruf.
 & in epistola ad Chromat. & Plin. histor.
 natura. libro. 7. capite. 19. risum tenere
 posse si viueret arbitror, quum & p̄sitta-
 cos eadem opera qua suum χαίρει docen-
 tur peccatorum absolutores euangelijque
 præcones ac coruos illos qui olim χαίρει
 imperator aut oleum & operam perdi-
 di, docti fuere & garrulas hasce cornices
 & picas et conturnices aliasque id genus
 volucres, sacerdotes atque symmystas
 euangelicosq; clauigerulos habere valea-
 mus et habebimus sane vbi animantia il-
 la rationis expertia aut Æsopicè iterū be-
 stia loqui coeperint, incipiunt. verò si do-
 ctæ fuerint, verum ab illis doceantur ve-
 lim qui tales absolutores clauiumq; m̄-
 nistros nobis præscribunt, neq; enim in
 eos aliter eiusmodi euangelij præcones et
 clauigeri competunt, quam gallus gal-
 linaceus glaber à Diogene cynico conie-
 ctus in Platonis academiam, quum is dif-
 finisset hominem animal esse mortale, im-
 plume, bipes, cum cachinno excipiente
 Platonem et en hominem inquite pla-
 tonicum, quanquam non nesciamus do-

did

h ij

ctores

C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

Et oēs nonnunquā catholicos vti clauium nomine extra et præter sacramenti huius significationem sumpta tamen inde Metaphora, quod sicut sunt quædam clauēs regni cœlorum quæ valent ad claudendum aperiendumue pro negotij causæque ratione auditis bene, pensatis, censisq; peccatis iuxta qualitatem & quantitatem, quæ pertinet ad sacramentum ordinis seruiūtq; pœnitentibus aut à peccatis soluendis aut in peccatis ligandis id est inquit. S. Hilarius vt immobile sit iudicium Apostolicæ veritatis, & quos peccatorum nodis innexos reliquerint & ligatos in terris & quos confessione veniē receperint in salutem in Apostolicæ sententiæ conditione in cœlis quoq; aut soluti sint aut ligati can. 18. circa illud Mat. 18. Quæcunque alligaueritis super terram etc. Ita etiam quodāmodo et velut clauibus quibusdam aperire hominū corda dici possit qui infideles ad fidē prouocat & inducit, et q̄ cuiuscunq; impij animum verborum sentiarumq; aculeis penetrans emollit et quo vult rapit inque alium transformat habitum, et qui quocunque modo siue gestibus, siue nutu, siue rerum ludicrarum exhibi-

bitione, siue vocum quarumcunq; et modorum sonorumq; modulamine aut quibuslibet alijs lenocinijs mentem afficit, permulcet inq; alium aliumq; (vt libet) sensum trahit quomodo orphea arbores & saxa, & flumina, & syluas & inferos immanesq; manes lyrico cantu mouisse & flexisse testes sunt Vergil. in buc. eglo. 4. Ouid. lib. 10. Metamor. & alij quomodo delphinas sua cithara mouit Arion. vti est apud Aul. Gell. noct. attic. libro 16. cap. 19. ex libro herodoti. 1. Et Ælianus lib. de animalibus. Et Ouid, lib. de fastis & Verg. in buc. eglo, 5. Opia. li. 5. de piscibus, & Plin. 2. natural. hist. lib. 9. cap. 8. Nam & sic Thimotheus Milesius qui decimam & vndecimam chordam lyre addidit & molliorem musicam reddidit suis siue carminibus siue modulis, vt volebat, modo iratum, modo placatum efficere solitus est Alexandrum Mag. Macedo. & modo ad bella moxq; cum lubebat ad pacem nunc dorijs tonis in phrygios nunc contra phrygijs in dorios mutatus incitare Suidæ testimonio id eleganter habes apud Basil. in homil. de vtilitates capienda è gentiliū authorum libris, quanquam habeat

vim musica grauibus numeris & sonis do-
 rijstēperata ad animos hominū in virtutis
 amorē & vitiorū odium inflammandos
 & ad omnes animorum affectiones trans-
 formandas memorabili pythagore exem-
 plo tradit Homil. ad Iuuenes Basil. mag.
 Syrenes autem suis delicatis vocibus &
 cantibus nautas et quoscunque aduenas
 sopire, sopitos deuorare consueuerunt,
 de quibus Verg. 5. Æneid. et in illo carmi-
 ne si tamen illius est. Siraenum cautus etc,
 Et Oui. 5. Metamor. Et Plin. li. 10. ca. 49.
 Et Lacedemonius nō litius et coruibus in
 pralijs vti sed tibijs mos fuit eo quod illa
 nimiū animos accenderēt, hæ aut suauius
 afficerēt ne immodice ferocirent, quid ve-
 ro maiores et ridiculos Sanniones aut mi-
 mos vel histriones, seu roscios seu Ætopos
 seu comedos seu tragædos siue poëtas
 quosuis vel oratores aut Philosophos refe-
 rā qui sanè mētē hominū alioquin liberā
 adeo demulcēt sibiq; demerētur atq; de-
 uinciūt, vt in suē vel nolentē cogāt ire pe-
 dibus sententiā? an aliæ quoq; artes siue pi-
 ctoriæ siue sculptoriæ ceteræque, qua-
 cunque nū quia nonnunquam huc illucq;
 hominis anim impellunt cordisq; arcana
 pene-

penetrant etiam clanes Evangelicæ dici
 debebunt? haudquaquam nisi forte quis ita
 mente eqciderit vt eiusmodi quos posui-
 mus clauicularios desideret, & euangeli-
 cos illos germanos spernat, Audisti porro
 clauium vsum sacerdotali duntaxat gra-
 dui cōcessum & in eo sitū, vt quū sacerdo-
 tes inter partes Deū inquā actorē et homi-
 nē reū sint arbitri, examussim trutinato ex-
 ploratoq; negotio et ponderatis de indu-
 stria peccatorū generibus delictorūq; va-
 rietatibus quo æquos se iudices præbeant,
 Dei quippe non suū iudiciū ferunt delibe-
 rēt vtrū soluere quē, an ligare debeant atq;
 ita censoriā virgulā exerentes sententiam
 pronūciēt siue de peccatorū solutione mi-
 sericordia & veritate mutuò sibi occurrē-
 tibus & iustitia & pace in gratiā redeun-
 tibus siue de peccatorum detentione &
 in peccatis obligatione vt quos indignos
 venia omnino animaduenterint à peccatis
 non absoluant sed iram & terribilē quā-
 dā expectationē iudicij et igneæ emulatio-
 nis quæ, consumptura est impios in die iræ
 Dei referuent et super ipsos accumulent.
 Iam verò mihi nunc tropologiam et cla-
 ues metaphoricæ accipe etiam apud ve-

CATECHIS. POENITENT.

teres nōnullos vsurpatas, non eas quæ peccata dimittant quemadmodū illæ archetypæ sed quæ peccata ostendant et manifestent, non quæ cœlū aperiant per se et claudant, sed quæ viā tātū qua gradiendum sit mōstrent non quæ indifferentes sint ad aperiendū atq; claudendū prout negotij exigit status, sed quæ aperiāt omnibus aut certe quæ aperire conentur, quamuis id ipsum nō sine illis fere et regulariter, claudant autē nemini D. Ambro. cum ieiuniū quadragesimæ commendasset eiusq; obseruatores idem meritū premiūq; expectare iussisset quod Moyses et Elias imperarant, nempe vt cœlū clausum aperirent et ille quidē legē, hic autē inde pluuiā obtineret deduceretq; fieri periculū voluit, an ipsi quoq; similiter cum ieiunijs tū orationibus referare cœlos valerent vt adueniēte spirituali pluuiā infideles et catechumeni quibus adhuc cœli clausi sunt irrigari lauacro baptismi queant, et omni sterilitate vitiorū curata iustitiæ fructus producere, puto autem (inquit) aliter cœlos hosce clausos illis aperiri non posse nisi Petri Apostolici clauēs sumpserimus quas Domino largiente suscepit Matt. 16. Tibi dabo

dabo claves etc. Imo rogemus S. Petrum
 ut ipse nobis tanquam bonus ianitor re-
 giæ celestis aperiat, quæ autem sit ista
 clavis diligentius inquiramus. Clavem Petri
 tri fidem esse dixerim Petri per quam cæ-
 los aperuit inferna penetrauit securus ma-
 ria calcauit intrepidus, Tanta eni in Apo-
 stolica fidei virtus est ut cuncta illi ele-
 menta pateant, hoc est non illi angelicæ
 claudantur ianux, nō portæ præualeant tar-
 tareæ non aquarum fluenta subsidant, ista
 autē ipsa clavis quam fidem dicimus vi-
 deamus quomodo constet quemadmodū
 solida sit, arbitror enim illam duodecim
 artificum operatione conflata nā duo-
 decim Apostolorum symbolo fides sancta
 concepta est, qui velut periti artifices in
 vnum conuenientes clauem suo consilio
 conflauerunt, clauem enim quandam ip-
 sum symbolum dixerim, per quod rese-
 rantur diaboli tenebræ ut Christi lux ad-
 ueniat aperiuntur conscientia, clausa pec-
 cata ut iustitiæ fulgeant opera manifesta.
 Hæc igitur clavis ostendenda est fratribus
 nostris ut & ipsi tanquam Petri discipuli
 inferna sibi reserare cælosq; aperire con-
 suescant sic Ambro. ser. 38. de ieiunijs &
 & qua-

CATECHIS. POENITENT.

& quadragesima. Item ser. 66. Cum omnes Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus præ cæteris peculiari quadam virtute & gratia in saluatore fidei videatur præcellere (ait) id quod ex dñi iudicio possumus probare, nã Petro magisteriũ ecclesiast. institutionis iniũxit scilicet vt quos iste erudiret ad salutẽ, ille susciperet ad quietẽ, quorũq; Paulus corda patefaceret verborũ doctrina eorũ animabus aperiret Petrus cœlorum regna, clauẽ nãq; scientiæ quodammodo & Paulus accepit, clavis siquidẽ dicenda est qua ad fidem peccatorũ corda referantur mētium secreta panduntur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur palam & foras manifestatione rationali producitur clavis inquam est quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit, ambo igitur à Domino perceperunt clauẽ scientiæ iste, potentiæ ille diuinitas immortalis ille dispensant, scientiæ thesauros iste largitur & edonat sunt enim scientiæ thesauri sicut scriptum est Colossen. secundo. In quo sunt omnes the-
auri

sup 32

lauri sapientiae & scientiae absconditi.
 Eminent ergo beati isti Petrus & Paulus
 inter Apostolos vniuersos & peculiari
 quadam prerogatiua prae cellunt, verum
 inter ipsos vtri vter praeponatur incer-
 tum est, puto enim illos esse aequales me-
 ritis quia sunt aequales passione, simili que
 eos fidei deuotione vixisse quos simul
 videmus ad Martyrij gloriam peruenisse,
 neque enim sine causa factum esse puta-
 re debemus quod vna die, vno in loco
 vnius Tyranni tolerauere sententiam,
 vna quippe die passi sunt vt ad Christum
 pariter peruenirent, vno in loco, ne al-
 teri roma deesset, sub vno persecutore vt
 aequalis crudelitas vtrumque constringe-
 ret, dies ergo pro merito, locus pro glo-
 ria, persecutor idem decretus est pro vir-
 tute etc.

Ita ibi Ambrosius & iisdem prorsus D.
 Maximus Episcopus Tauriensis Homilia
 quinta de festo Petri & Pauli, & iisdem
 quoque August. sermone 3. de sancto Pet.
 & Paul. adeo vt aut hi illum (quod mihi
 magis probatur (aut hos ille videatur
 emulatus, vel profecto quod saepe contin-
 git mutuis operis sint vsi, sed appertius
 schema

13 C A T E C H I S. P O E N I T E N T.

schema explicat Theop. super illud Mat. 16. Tibi dabo claves etc. Postquam enim exposuisset germanum claviū vsum eūq; pertinere ad ordinem gradumq; tantū sacerdotalem & episcopalem nempe in penitentia sacramenti administratione docuisset vt habitum est, præter hæc (inquit) etiam cœli alio modo accipiuntur vt dicantur virtutes quarum certe claves sunt bonę operationes operando namq; ingredimur quasi per claves quasdam aperientes nobis viam vnicuiuscunque virtutis, si autē non operor sed scio tantum bonū habeo quidem scientia clauem sed tantū, extra porro maneo. etc. Et peccata quanquā & virtutes aut in cœlis aut in terris aut apud inferos ligare insinuat vnumquemq; cuiusmodi phrasēs cū in scripturis tum in scriptoribus Ecclesiasticis non raro obuiæ sunt in illis versanti. Verum hæc nihil ad rem qua de agitur vti cuius sobrio saneq; mentis satis exploratum est qui vel à limine scripturas sacras patrūq; orth. monumenta salutarit (quod inquit) nisi semel obiecta omnia quæ quoquo modo mouent humanas potentias (quas appellant phisici, mouētq; officij pietatis, ac religio-

ligionis, enangelicas clauēs esse fateri veli-
 mus nullāq; esse Petri cæterorūq; aposto-
 lorū prorogatiuā quę vsque adeo cum ani-
 matis tū inanimatis rebus est cōmunis vt
 nulla penitus sit quæ non aliquod specimē
 si bonū æstimatorem inueniat præ se ferat
 bonitatis atq; virtutis, vnde ad virtutis
 frugem atq; momēta quis afficiatur si mo-
 do culturæ patientem accōmodet aurem
 vel sensum. Atqui sua cuiq; opera aut ape-
 rire, vel claudere coelū & bona quidē ex
 hisce mūdi immēsis tenebris in apertā lu-
 cē erūpere superasq; euadere ad auras atq;
 suū parentē eripere ab hoc curarū, calami-
 tatē erūnarū suūq; humanorū oīm pistri-
 no vbi nihil est ex omni parte. beatū vbi
 vitio sine sicut nemo nascitur, ita nec vivit
 quēadmodū cōtra pelag. frequēter differit
 cōtenditq; August. nec moritur pene di-
 xerim nisi sacramentorū illi opitulentur
 præsidia & optimus ille est qui minimus
 yrgetur, et postremo ab isto misero corpo-
 ris ergastulo quod Plato in Eratijs aliq;
 græci philosophi Σῶμα πρὸς τὸ σῆμα id est
 à sepulchro dixere, quod anima in cor-
 pore quasi sepulta sit eiecta nimirum è cę-
 lo ob aliquam ibi admissam culpam (in ea
 namq;

namq; erant hæresi vt patet in theophrasto
 sto Aneæ platonici, quem errorem inter
 Christianos Origenem quoque capisse
 mundoq; inuexisse & in libris pariarcho
 & alibi liquet iustitiam inq; & fidem &
 virtutes atq; religiones cæteras vnde viri
 boni dicuntur pium quemq; hisce pericu-
 lis & curis etc. absolutum in æternæ bea-
 titudinis libertatem asserere, mala vero
 opera sibi obnoxium ac deuihctum & tor-
 to collo constrictum suum auctoritate te-
 nere certo certius est plurimisq; scriptura-
 rum testimonijs probatissimum. Verum
 hæc quorsum? neq; enim magis huc fa-
 ciunt quam que minimè, nam & Aristo.
 lib. 5. ethic. cap. 1. de æquiocatione clavis
 refert. Qui eiusmodi cauillationum cen-
 tonas passim iungit sarcit merito Vergi-
 lianum illud audiet in Palæmone. Atq; idè
 iungat vulpes & mulgeat hircos. Et Mar-
 tial. illud lib. 6. Non de vi neq; cede nec
 venæno. Sed lis est mihi de tribus capellis,
 Vicini queror has abesse furto.

*Hæc index sibi postulat probari,
 Tu Cannas Mithridaticumq; bellum
 Et peiuria punici furoris,
 Et Syllas, mariosq; mutiosq;*

Magna


*Magna voce sonas manuq; tota,
Iam dic postume de tribus capellis.*


Quocirca cum ipsa isthac luce ac die orationem finiamus (si videtur) cras vita & gratia Dei comite de poenitentię actibus dicere inchoaturi.

POENIT. Oppidoquam placet conditio precor tibi felicem noctem.

CATECH. Itidē tibi ego vale in crastinū. POENIT. Ita me deus bene amet tā diu probe & ex sententia valebo quam diu cōtinget me cōsultore re perquā sacra vti familiariter. CATEC. Iteris quidem quādiu voles verū id abs te flagito ne discedas ante mysteria neue te subducas si quādo me nō assequere nec id putes cōtēnēdū quod aut tu nō satis intelligis, aut aliter persuasum habes cū siquidē consilium sit sacrū tā religione pureq; est accipiēdū. Poenit, Ita faciā nā indoctorū hominū isto rū cōuentus atq; concessus qui sibi tamen Solones aut Lycurgi. Imo euāgelice Petri vel Pauli vidētur nihil prater inaniū inania consilia magisq; quotidie comperio. Catec. reperient etiā alij si aduertāt animū sed modo vale, Poenit. vt queam.

F I N I S









Handwritten text, possibly a title or author name, on a small piece of paper at the top of the spine.

Handwritten text, possibly a title or author name, on a small piece of paper below the top one.

Th
2987